



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

gr. 1088^w

Galluzi



833

~~W.H.~~

~~500~~





P. PAULUS SEGNERI IUN: S.I.

Klauber Sculp. A.D.

VITA
R. P.
PAULI
SEGNERI
JUNIORIS
E SOCIETATE JESU
MISSIONARI.


EX
AMPLIORE DESCRIPTIO-
NE ITALICA
R. P. FRANCISCI MA-
RIÆ GALLUZI S. J.

EXTRACTA,
ET LATINO IDIOMATE EDITA
A QUODAM EJUSDEM SOCIE-
TATIS SACERDOTE.
*CUM PRIVILEGIO S. C. MAIESTATIS
ET LICENTIA SUPERIORUM.*

INGOLSTADII,
Campibus. Vnde JOANNIS ANDREÆ de la HATE,
Bibliopolæ Academici. Anno 1742.
Typis JOANNIS PAULI SCHLEIG, Typogr. Acad.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Bayerische
Staatsbibliothek
München



Facultas R. P. Provincialis Cum Privilegio Cæfareo.

EGO RUDOLPHUS BURCKHARDT,
Societatis JESU, per Germaniam Sup-
riorem Præpositus Provincialis, fa-
cta mihi potestate ab Admodum Révèren-
do Patre Nostro FRANCISCO RETZ, So-
cietatis Universæ Præposito Generali, Li-
brum, cui Titulus *Vita R. P. Pauli Segne-
ri Junioris è Societate JESU Missionarii, ex
ampliore descriptione Italica R. P. Francisci
Mariae Galluzi S. J. extracta*, à quodam
nostræ Societatis Sacerdote latinè editum,
& à deputatis ejusdem Societatis Patribus
lectum, probatúmque, typis in lucem edi-
permitto, ac Dominæ Viduæ, Joannis An-
dreæ de la Haye p. m. Bibliopolæ Acade-
mici Ingolstadiensis, jus concedo, usur-
pandi privilegi Cæsarei, quo Typographis,
ac Bibliopolis omnibus, adimitur copia,
vulgatos à Societatis JESU Patribus libros,
absque Superiorum, Authorúmque con-
senstu, in eadem, vel diversa lingua ex-
cuden-

eydendi , vel intra Sacri Romani Imperii , & Provinciarum , S. C. Majestati hereditario jure subjectarum , fines importandi . Facultatem hanc , de una tantum impressione intellectam , manu mea , & solito officii sigillo , firmavi . Ingolstadii 23. Februarii. 1741.




Protestatio.

Debita cum reverentia , & obedientia insistendo Decretis à SS. Domino Urbano VIII. anno 1625. 1634. & 1635. editis , profiteor , me haud alio sensu , quidquid in hoc libro refertur , accipere , aut ab ullo accipi velle , quam , quo ea solent , quæ humana duntaxat auctoritate nituntur , submittendo humillimè omnia iudicio Apostolicæ Sedis.



VITÆ



VITÆ
R. P. PAULI
 SEGNERI JUNIORIS
 E Societate JEſu
MISSIONARII.

LIBER I.

De P. Pauli Nativitate, Ingressu
 in Societatem, Missionibus, ac
 Pia Morte.

C A P U T I.

*Nativitas R. Pauli, & Vita in Sa-
 culo acta.*

Paulus Segneri, qui, ut à suo
 patruo, etiam Paulo Segneri vo-
 cato, discernatur, junior dici-
 tur, natus est Romæ anno 1673.

18. Octobris, parentibus clara nobilitate
con-

A

conspicuis. Patrem natus est Dominum Joannem Segneri, matrem vero Dominam Mariam Magdalenam Inghirami, filiam Joannis Inghirami Senatoris Romani, quæ dignitas Romæ uni soli est propria, atque inter primarias ea in urbe numeratur. Erat autem hæc Domina, non tantum genere, sed etiam virtutibus, & his præcipue celebris, ac præsertim Deo per orationem mentalém, cui quotidie plures horas solebat impendere, intimè unita, eo suo solatio, ut dicere auderet, se insisterendo orationi etiam in inferno paradisi gaudia reperturam: quas mentis delicias merebatur quoque cruciatibus corporis, quod frequentibus jejuniis, ciliciis, flagellis, aliisque asperitatibus affligebat.

Baptismum recepit P. Paulus in Ecclesia parochiali S. Mariæ in Campo Carleo, patrinum agente Eminentissimo Cardinale Facchinetto: solus autem ex pluribus fratribus, qui omnes brevi sunt mortui, ultra infantiam vitam protraxit, cum unica sorore Domina Victoria, quæ suo tempore truplit Domino Prospero Nunnez. Statim primis ab annis parvulus optimam de semper facere cœpit, quod olim sit evasurus in virum insignem, & gloriae divinæ propagandæ maximè utilem; quippe jam tum monstrabat genium vividum, intellectum capacem, felicem memoriam, quin etiam habilitatem egregiam ad ea, quæ didicerat,

rat, aliis tradenda; hinc in tenera illa ætate delectabatur summopere, præsentibus infantibus sui æqualibus in suggestum aliquem scandere, & exinde concionatorem pro suo modulo agere, ac gestu, & voce contenta, reprehendere vicia, & ad virtutem hortari.

Post aliquot annos missus est ad publicas scholas, in Collegio Romano frequentandas, ubi insigni industria ad pietatem, ac studia incubuit, atque egregia ingenii, ac diligentiae specimina edidit, quorum memoriam P. Ubertinus Carrara, ejus in Rhetorica quondam Magister, adhuc senex maxima cum æstimatione conservavit. Cum annum ætatis quartum decimum attigit, placuit Deo ad se evocare Dominum Joannem ejus parentem; quare vidua Domina Mater de filio multum sollicita, quo remotior esset ab omni periculo à pietatis, & literarum studio remittandi, statuit eum Viterbum mittere ad suum Dominum Fratrem Reverendissimum, ac Illusterrimum Bernardinum Inghirānum, Provinciæ sic dicti Patrimonii tunc Gubernatorem, ut sub avunculi vigili cura in virtute, ac literis magis proficeret.

Excepit hic nepotem gaudio magno, & amore tenerrimo, utpote jam certior factus de optima ejus indole, ac præstante ingenio: & sanè spem de se conceptam adolescens abunde implevit: certè P. Ignatius

tius Martinelli, Societatis JEsu sacerdos, qui tunc Viterbiensi in Collegio degens ei privatim Logicam prælegere iussus est, postea fuit testatus, causam non modicæ admirationis sibi fuisse, tum eximiam ingenii ejus capacitatem, ac memoriae vim, tum singularem ad prælectiones attentionem, ac linguæ in eis repetendis facilitatem: quibus cùm accessisset Angelica morum modestia, in omnium oculos palam incurrens, communem, ajebat, civitatis vocem fuisse, ipsum esse vivum exemplar S. Aloysii Gonzagæ.

Occupatio ejus ordinaria erat, evolvere libros spirituales, & recreatio, sacras ædes invisere: deliciæ verò frui SS. Eucharistiæ, quæ omnibus festis diebus ex consilio confessarii sui P. Felicis Bernabei reficiebatur. Nemo audebat in ejus præsentia, aut in gestum indecentem prodire, aut verba minùs castigata proferre; tanta erat omnium de virgineo ejus pudore existimatio. Quando autem (ut nunquam solent deesse mastiges virtuti) quidam ejus, ut putabant, simplicitati, jocis satis mordacibus illudebant, ipse nullum displicentiæ, aut offensi animi signum prodebat, sed æquali semper hilaritate cum suis derisoribus conversabatur, non sine domesticorum, aut etiam aliorum admiratione: tandem verò iidem, qui ipsum priùs deriserant, ejus patientiam suspicentes, contemptum in reverentiam commutârunt: at interim ipse, optimo

optimo suo constantis pietatis exemplo, plures ad servitium divinum attraxit.

Non diu Viterbii egit juvenis Paulus, cùm ad sequenda consilia evangelica se invitari int̄erius sensit: & , qui priùs aliud non cogitārat, quām vitam sacerdotalē, & stemmatis propagationem , deficientib⁹ maximē aliis fratribus, jam mundum omnem exosus, ad statum religiosum, & maximē ad Societatem JEsu, se à Deo vocari animadvertisit; quare negotium hoc vocationis gravissimum sedulò egit cum confessario suo , suprà memorato P. Felice Bernabeo : & post maturam deliberationem firmiter statuit, dictum Institutum amplecti. Non ausus est hoc animi sui decretum indicare Reverendissimo , ac Illustrissimo suo Avunculo , cuius in palatio tunc morabatur; quippe difficilem fore ejus consensum satis prænoscebat.

Hinc primas ea de re literas dedit ad patruum suum R. P. Paulum Segneri senorem, virum tunc Missionum ministerio celebratissimum , ejus patrocinium hac in causa implorans. Optimus senex, de nepotis sui sancto proposito valde gavisus , mox hanc suam lætitiam datis ad P. Barnabeum literis copiosè testatus est, addens, id sibi celeriter executioni mandandum videri, sperare se, Dominam Matrem sat facile consensuram, non autem ita avunculum, qui tamen, cùm sit vir animi prorsus

sus recti , ac probi , solùm sit tentaturus constantiam juvenis , & experimentum sumpturus præmissæ maturæ deliberationis. At verò suo nepoti , dum amanter respondit , illud Christi Domini dictum propo- suit : *Nemo mittens manum suam ad aratrum , & respiciens retrò , aptus est regno Dei. Luc. 9. v. 62.*

Verùm major , quām credebatur , diffi- cultas etiam in Domina Matre occurrit , quæ , licet matrona piissima , tamen acerrimè sensit , unicum senectutis baculum , atque solarium , prorsus dilectissimum filium , ita à se avelli : qui affectus maternus non pa- rùm est incitatus amicorum , aut domesti- corum quorundam suggestionibus , qui in- gens nobilissimæ familie damnum , aut e- tiam secaturum interitum , ingeminabant ; unde respondit filio mater , ipsius literas in- star fulminis sibi fuisse , & se præ dolore nescire , quid cogitet : consulat ipse hac in re suum avunculum , qui modò occupet locum mortui patris : non esse properan- dum in tam gravi negotio , & modicam ejus ætatem facile concedere spatium ulte- riùs deliberandi. Addidit alia plura , qui- bus maternum amorem , suumque ea oc- casione perceptum dolorem , abunde mon- stravit.

At Paulus econtra , reverenti simul , ac spiritu plena epistola , Dominæ Matri expo- suit , quod , si eam nunc ad tempus relin- quat ,

quæ, æternum in cælis ipsi sit adhæsus: præsertim autem ei revocavit in mentem, quod sèpius dixerit, malle se ipsum mortuum, quæm peccato mortali contaminatum videre; cùm tamen vocationis neglegens possit esse millenorum occasio scelerum. Conclusit tandem demissè rogando, ut maternam benedictionem sibi impetriri dignetur.

Gravius longè certamen subeundum cum Domino Avunculo fuit, qui, ut rescivit nepotis sui intentionem, sibi eam quæ maximè displicere palam ostendit. Scilicet suspicabatur, hominum suasionibus, & non vocatione cælesti, has cogitationes illi esse injectas. Cœpit autem in primis nepotem vultu austriore respicere, ipsique omne cum Patribus Societatis colloquium, quin etiam eorum Collegium interdicere: imò, ut ipsum magis ab illorum consortio removeret, alium in locum, intra fines tamen suæ præfecturæ situm, dimisit, prohibito omni cum dictis Patribus literarum commercio: insuper etiam vetuit cum aliorum Ordinum Religiosis familiariter congredi, adjunctis etiam minis, si minus obedientem se gereret. Quæ tamen omnes cautelæ, ac machinæ, solummodo id effecerunt, ut palam omnibus esset, vocationem juvenis esse verè supernam, & omnibus carnis, ac mundi affluctibus superiorem.

Cùm tamen carnaret Paulus, avunculum

Ium suum, etiam post capta experimenta complura de sua constantia, neandum cedere velle pii desideriis suis, supplicibus litteris egit cum Eminentissimo Cardinale Alexander Caprara, tunc Rotæ sacrae Auditore, & testamenti paterni executore, ut suum hac in causa patrocinium assumere vellet: qui viso tanto juvenis fervore, & conspectis tot signis vocationis divinae, permotus, una cum P. Paulo Segneri seniore, tam potenter hoc negotium ursit, ut tandem Reverendissimum Inghiratum, atque etiam Dominam Matrem per moverint, ut in vota nepotis, ac filii consentirent: quod ut impetraretur, non minore, quam sex mensium spatio fuerat opus, quo epistolæ plures ultrò, citròque volarent. Sic superatis tandem obstaculis omnibus Paulus Iætissimus Romani contendit, acceptaque à Domina Matre benedictione, ad S. Andreæ in monte Cavallo dicto tyrocinium Societatis ingressus est anno 1689. 25. Maii, in quem diem tunc vigilia Pentecostes, unaque festum Divæ Magdalenæ de Pazzi inciderat, cuius, utope peculiaris fuz patronæ, intercessione Spiritu S. erat replendus.



CA-

C A P U T . II.

Tyrocinium P. Pauli, & Philosophica Studia.

NOVS candidatus exceptus est à R. P. Nicolao Piscello, Tyrontum Magistro, & Domūs Rectore, viro eminentis virtutis, atque ascesis, qui Novitios sibi concreditos, verbo, & exemplo, ad omnem vitæ religiosæ perfectionem fortiter excitabat. Ab isto statim est jussus, de hoc suo in Societatem ingressu literis certiorem reddere patruum, nempe P. Paulum Segneri seniorem, qui Fanum urbem Apostoliçā missione tunc excolebat: quæ epistola optimo seni magnum gaudium attulit, ut ipsemet ad P. Bernabeum perscripsit. Cùm autem R. P. Magister Novitiorum in novo tyrone non tantum insignem fervorem in exequenda vocatione divina, sed insuper optimam indolem, & candidam morum innocentiam perspexisset, studiosius eum excoluit, & quidem magno operæ pretio, ac correspondente fructu insigni.

Quippe quidam, ejus olim in tyrocinio socius, nunc autem vir gravis, testatur, ipsum consodalibus suis fuisse exemplo, ac stimulo, ad omnem virtutem, & devotionem, atque propterea retulisse ab iis singularē estimationem, ac venerationem.

adèò, ut quidam absoluto' jam tyrocinio,
& votis emissis Rhetoricæ studens, ab eo
supplex petierit documentum quoddam
spirituale: cuius petitioni satisfacere juf-
fus, illud S. Pauli Apostoli; patroni sui
enunciavit: *Si hominibus placerem, Christi
servus non essem.* ad Gal. 1. v. 10. quæ
verba ipsemet altè cordi impressa gerebat,
strenuus victor omnis respectus humani,
simulque sui contemptor insignis, ac hu-
militatis studiosissimus, adèò, ut avidissi-
mè omnes sui demittendi occasiones ca-
ptaret. Par in ipso etiam fuit mundi, &
caducorum ejus bonorum contemptus, nec
non patientia in quibusque adversis, ac vi-
gor in cruciando proprio corpore, quod
æstu, & frigore, ac solitis pœnitentiae in-
strumentis, quantum ipsi permittebatur,
non cessabat affigere.

Præcipue autem in ipso ardebat ignis
charitatis in Deum, cuius æstus, in collo-
quijs sacris foras erumpens, alios quoque
inflammare quam maximè poterat: intus
vero adhuc magis, & ita urebat, ut san-
tati corporis timeretur ab ardoribus men-
tis; quare animum ad alia distraheret jussus
est: quin etiam ijs diebus, quibus ex mo-
re accedendum tyronibus erat ad sacram sy-
naxin, dum alij lectione sacra, aut varijs pi-
ctatis exercitationibus, ad panem divinum
majori cum devotione sumendum se præ-
parabant, ipsi fuit injunctum, ut eo tem-
posse

pore in triclinio mensas sternendo se occuparet: verbo: erat tunc temporis Paulus optimi tyronis idea, aut speculum, adeò, ut R.P. Rector Pisicellus eum alijs, præsertim ad tyrcinum recens advectis, imitandum proponeret.

Memorabilis quoque est ejus, pro more tyronum Societatis, per mensem cum duobus socijs instituta peregrinatio; hac enim durante, jam zelo insigni prælufit missionibus illis famosis, quibus à Deo destinabatur: certè in catechizando, exhortando, instruendo, tantum jam tunc ardorem ostendit, ut ejus memoria diu apud auditores perseveraverit, & nobilis quidam post viginti quatuor annos Romæ eum deprædicaverit, addens, alium quendam, qui tunc temporis eum deriserat, posteà in articulo mortis amarè doluisse de illa protervia, eamque coram sacerdote hunc in finem vocato confessum fuisse. Finita ea peregrinatio ne, & Paulo domum reverso, paulo post etiam tyrcinij finis advenit, quo absolu to ipse magno suo gaudio vota religiosa emisit, atque in holocaustum pérpetuum Deo se obtulit.

Subin, ut in Romana Provincia moris est, ad repetendam Rheticam est destinatus, in eadem domo S. Andreæ, eique dein per sexdecim menses operam dedit, & quidem industria prorsus insigni, ita tamen, ut de fervore spiritus, & exacta spiritua lium

lium exercitiorum accuratione, nihil remitteret, adeò, ut mox post quatuor menses aliorum condiscipulorum curam, & sic dicti Bidelli officium, sit gerere jussus, etsi inter viginti tunc Rhetoricæ studiosos non deessent iplo antiquiores, & virtute egregia præditi: qua occasione omnes benevolia charitate, obsequiosa attentione, atque optimis exemplis, ad disciplinæ religiosæ observantiam suaviter, ac efficaciter simul induxit. Insuper cum quibusdam vitæ perfectionis avidioribus sacrum iniit fœdus, quo obligabantur 1. perfectioni, juxta peculiarem Instituti Societatis rationem acquirendæ, ferventer insistere. 2. se invicem, nore fraterno monere, siquidem id ob admissos ex humana fragilitate errores videretur esse necesse. 3. pro se invicem diligenter orare, recurrente præsertim aliqua die, qua quis ipsorum in Societatem esset admissus: quæ insuper dies ingressus in religionem singulari devotione, & gratiarum actione ob beneficium vocationis, à quolibet sit sanctificanda.

Ad hunc ejus in omnigena virtute profectum contulit plurimum, tum R. P. Piscelli Rectoris paterna erga subditos suos solicitude, tum P. Thomæ Magni, qui spiritus Præfectum ibi agebat, directio religiosissima, quæ sequentibus annis etiam Collegium Romanum feliciter usum est: & hinc huic optimo Patri, cùm anno 1698. piissi-

mō

mē mortuus est, coram invitatis sociorum quā plurimis funebrem laudationem dici curavit, qui honor nonnisi viris à virtute estimatissimis solet haberi.

Absolutis Rheticæ studijs transiit Paulus ad Romanum Collegium anno 1692. mense Novembri, ut Philosophicis scientijs excolleretur. Nactus est ibi Magistrum, à vasta eruditione, atque scientia celebratissimum, Joannem Baptistam Ptolemæum, postea à Clemente XI. Cardinalem creatum: sub cuius disciplina insignem prorsus fecit profectum, adeò, ut evoluto triennio primus omnium publicas theses ex universa Philosophia defenderet: quem actum suā præsentia reddiderunt solemnem duo Reverendissimi Generales, nempe Ordinis Divi Dominici (qui cum tota sua curia adfuit) & Ordinis Clericorum infirmis Ministrantium, præter octo Procuratores Generales, & numerosam aliorum sæcularium, & Religiosorum externorum coronam; quippe Reverendissimus Inghiramus plures suo nomine invitari curaverat.

Monstravit autem defendens eam ingenij capacitatem, ac profunditatem, & Philosophicarum quæstionum comprehensionem, ut toto tempore Præses disputationis vix aliquid sit interlocutus, nisi approbando, & confirmando doctissima, & ingeniosa responsa, adeò, ut Reverendissimus Pater Generalis Dominicanorum, sub suum discell

discessum ad Patrem Generalem Societatis conversus, asseruerit, quod si quis suorum tantâ doctrinâ conclusiones Philosophicas propugnâisset, eum mox ad Aristotelem prælegendum applicaturus fuisset. Hæ tamen, & similes laudes nullam inanem sui estimationem Paulo affricuerunt; quippe erat animo magis demisso, quam, ut in vanam gloriationem posset attolli; namque etiam duranté Philosophico studio ex humilitatis amore functiones magis speciosas, & honorificas, alijs condiscipulis cedere ipsi volupe erat, solo labore sibi retento: quem non tantum indefessum studijs impendit, sed etiam alijs proficuum fecit, dum præsertim debiliores repetitionibus, ac difficultatum explicationibus, multum adjuvit, enucleando ipsis eas etiam quæstiones, quas eo anno defendere ad ipsum non attingebat.

Ad aliatum quoque virtutum, non minus, quam ad literarum profectum, in Collegio Romano incubuit, ut prius in domo S. Andreæ consueverat: & vel maximè jam tunc intra se fovere incepit ardens desiderium laborandi in proximorum salutem, quod magis in ipso accendebatur frequentibus patrui, senioris nempe P. Pauli Segneri, adhortationibus; hic enim tunc Romæ præsens, utpote Innocentij XII. jussu concionibus in Apostolico palatio habendis occupatus, nepotem ad omnem vitæ perfectiōnem,

nem, præcipue verò ad flagrantem animarum zelum inflammabat. Interim autem, dum filius excipiendis lectionibus Physicis operam dabat, mors Dominam Matrem æternitati transmisit anno 1694. 15. Martij, quæ cùm magna opinione virtutis Romæ celebris esset, etiam ejus exequiæ magno populi accusu celebratæ fuere, in templo S. Mariæ novæ, ubi nobilis illa familia jus habebat sepulchri. Ea occasione Paulus mirâ constantiâ mœrorem, ex materno funere naturaliter ortum, opprescit, & dum intra Ecclesiam flebiliter officium decantatur, ipse extra illam, in proximo campo dicto Vaccino, confluentibus rusticis sacram fidei doctrinam, mixtis pluribus pījs admonitionibus, & instructionibus explicavit.

Paulo post, eodem nempe adhuc anno, 9. Decembris pīssimè obiit P. Paulus Segneri senior, cuius cùm vita sanctissimè acta jam idiomate Latino impressa sit, non est hīc de ea agendum: at non omittendum, quod nepotem concernit, nempe Paulum tunc Metaphysicæ studiosum; nam post recitatum pro patruo cum alijs funebre officium, & reportatum in Sacristiam cadaver (ubi ad melius servandam tanti viri memoriam ejus imago est efformata) ille horæ circiter spatio hæsit, immobiliter genuflexus ad tumbam, & orationi intentus: qua procul dubio sibi petierit spiritum defuncti infundi,

fundi, ut eodem repletus pari contentione
in proximi salutem incumberet. Et sanè
est animadversum, ex eo tempore juvenem
Paulum ardentissimo desiderio ferri in Apo-
stolicas missiones: quod postea semper in-
crevit, ut ex vita ejus decursu abundè
patebit.

CAPUT III.

*Traditæ à P. Paulo Disciplinæ Hu-
maniores, & excepta Theologia.*

POstquam P. Paulus studijs Philosophi-
cis finem imposuit, pro more Socie-
tatis destinatus ad instruendos huma-
niorum literarum studiosos, atque Senas est
missus, ubi annis duobus Grammaticam,
tribus verò Rhetoriçam docuit, maxima-
tam externorum, quam domesticorum com-
mendatione: & quidem ex ejus discipulis
unus, qui postea Societatem ingressus est,
non potuit satis laudare ejus fervorem, præ-
cipue in habendis ad suos scholares exhori-
tationibus, quibus tantum peccati horro-
rem eis incutiebat, ut è schola egressi quasi
à fervida missione reversi viderentur: alias
etiam in privatis colloquijs solitus est, eos
ad omnem virtutem, & perseverantiam in
statu gratiæ, studiosè hortari.

Maximè autem satagebat ipsis ingenera-
re amorem, & curam puritatis Angelicæ,
uti

uti & odium oppositi vitij, quod adeò ipse horrebat, ut, si in Poëtæ cujusdam, aut alterius auctoris profani cœpta explicatio-ne, verbulum aliquod lubricum, aut mi-nus castigatum occurreret, mox librum clauderet, & vel alterius expositionem inciperet, vel thema componendum dictaret: sequenti verò die explicationem dicti libri resumens, verba memorata transiliret, ac ulteriùs pergeret.

Ad hanc puritatem, tum in se conservandam, tum promovendam in suis, urebatur præcipue cultu constanti Virginez, & Immaculatissimæ Matris, cui non tantum ipse specialiter erat addictus, sed etiam discipulos suos curabat esse perquam devo-tos; unde non solùm istos frequenti sermo-ne ad eam varijs pietatis obsequijs hono-randam incitabat, sed eò etiam referebat exercitationes scholasticas: & hinc sub anni initium huic cælorum Reginæ dedicabat omnes futuros labores, & primum, atque ultimum thema, dictatum discipulis, erat de ipsa, sive de laudibus ejus: quin sæpius, & quidem magno affectu elegias Patris Des-kons in schola explicare solebat; eoquod Dæiparæ laudes ita cantaret, ut simul ejus-dem inspiraret amorem.

Alliciebat denique omnes ad omnem virtutem, optimo suo exemplo, & religio-sa modestiâ, ita, ut, quemadmodum de ipso quidam testatus est, vel solus ejus a-

spectus puros, ac sanctos mores ingeneraret. Interim tamen non præseferebat ullam vultus austoritatem, sed amœna serenitate, ac suavissima amabilitate, omnium, maximè verò discipulorum, corda ad se attrahebat, adeò fortiter, ut isti vix ab ipso separari posse viderentur. Amabat omnes generè, & sinè vitiosa personarum acceptione, ità, ut solos illos aliis præferret, qui vel virtutis, vel industriæ merito, præcellerent. Hoc amore impulsus impendebat se quasi totum dissentium utilitati, etiam extra scholæ tempora, quantumvis pluribus aliis domi negotiis multum occuparetur.

Huic diligentia patientiam quoque junxit invictam in tolerandis puerorum erratis, adeò, ut etiam quorundam petulantia contra se dicta generosè dissimularet. Quando autem castigandus erat quispiam, læsæ disciplinæ scholasticæ reus, id faciebat invitus, & non sinè necessitate, &, si prudenter posset, admittebat facile excusationes. Eodem tempore ipsi incumbebat doctrinam catecheticam parvulis nostro in templo exponere: & erat illa instructio, alias utilissima, imò summè necessaria, tunc, si non neglecta, certè, prout par erat, non frequentata: at mox novus hic catechista suo zelo eam in meliorrem statum reduxit, & piis cantilenis, institutis dialogis, ac similibus puerorum genio

genio aptis exercitationibus, pristinum splendorem huic sacræ functioni restituit.

Labores hi juncti pluribus aliis domi, & foris, ordinariis, ac extraordinariis, videbantur opprimere vires corporis non valde robusti, ut adeò meritò P. Paulus à Superioribus petere posset auræ, ac loci, atque officii mutationem, ut scilicet alibi minus occupato paulum respirare liceret: at ille nunquam id facere voluit; quippe, ut ad P. Horatium Oliverium, postea Assistentem Italæ, scripsit, existimabat, petendo loci mutationem extra limites obedientiæ cæcæ se egressurum, intra quos tamen se continere modis omnibus voluit; unde prædictum Patrem rogavit, ne quid in sui gratiam impetraret à Superioribus, quod huic suo cæcè obediendi animo non conveniret.

Accidit postea anno 1697. Senas repetitis terræ motibus concuti, tanto omnium terrore, ut multi ad vitandum tam grave mortis periculum aliò migrarent: at rursus P. Paulus datis ad dictum P. Oliverium literis est protestatus, quamvis etiam concussions illæ terrificæ crescerent, nunquam tamen à se rogatum iri Superiorēs, ut in stationem aliam magis securam se avocarent; si enī (dicebat) sit morendum, melius se moriturum eo in loco, ubi Deo placitum fuerit. Et sancte à Superioribus, ejus virtuti confisis, ac optimè gnaris,

gnaris, ab ipso ea in urbe plurimum boni præstari, non tantum eo anno, sed adhuc tribus sequentibus ibi relictus est.

Anno verò millesimo septingentesimo, mense Novembri remissus est Romam ad inchoanda Theologica studia, quibus exinde quatuor annos impendit: quo tempore non tantum indefessâ industriâ, sed eximio quoque profectu, ad sacram scientiam illam incubuit; unde, cùm inter æquales emineret, secundo, & tertio anno repetitor Philosophis, quarto autem Theologis datus est, sive, ut Romæ vocatur, Academicus Theologiz est constitutus: ex qua universa positiones sub finem anni ejusdem eximia cum laude defendit. Non tamen propterea à pristinæ humilitatis, devotionis, aliarumque virtutum exercitio, vel minimum quid unquam remisit: sed statim in munere Præfecti, quod in Seminario Romano pro more gesserat anno primo, patientiæ fortissimæ, & charitatis erga omnes valde obsequiosæ, specimina plurima dedit.

Maximè mirabile autem est visum, quod P. Paulus jam tunc impleverit, & munus diligentis studiosi, immo Academicici, & simul operarii valde zelosi; quippe mox anno secundo Theologici studii habuit singulis festis diebus in publico foro, seu platea agonali vulgo dicta Piazza Navona, cum omnium approbatione, & magno audi-

audientium fructu, conciones prorsus ferventes, quas non ex tempore recitavit, sed habito diligentiationum, audientibus congruarum selectu, studiosè conscriptas mandavit memoriaz: à quo tamen labore, eoquòd nimio fervore sese consumeret, post aliquot mensium spatiū per Superiorēs fuit amotus.

Eodem anno in Romano Collegio introductus est mos, per hebdomadem sacram, sive majorem, Exercitiis spiritualibus illustres Dominas excolendi: ne autem interea earum famuli tempus otiosè deperderent, vīsum est, his quoque proponendas esse sacras aliquas meditationes: destinatus est itaque ad hoc opus primò tentandum P. Paulus: & mox ipse istud aggressus est eo zelo, atque facundia, ut non tantum summa esset auditorum attention, sed etiam ingens devotio, atque compunctione, in omnium animis exortiretur, sequuta etiam in pluribus memorabili morum conversione, adeò, ut plures de tanto fructu relato P. Paulo gratularentur: quibus ipse post attributam misericordiaz divinaz omnem gloriam respondit, se à Deo accepisse gratiam agendi cum hominibus conditionis inferioris, & ideo cum his etiam se libentiū agere.

Sequenti anno 1703. Roma quibusdam motibus terræ succussa ingentem terrorem incolis attulit; unde SS. Dominus Clé-

mens XI. præter alia plura , ad placandam Numinis iram , præscripta pietatis , & pœnitentiaz opera , etiam jussit , ut in variis urbis Ecclesiis per octo dies instituerentur sacræ Missiones , quibus populus ad exorrandam peccatorum veniam , & poenarum imminentium condonationem , incitaretur . Obtigit P. Paulo , tum adhuc Theologiaz studioso , & necdum sacerdoti , Ecclesia S. Angeli in foro piscario , ubi tantus ad eum audiendum fuit confluxus , & tantus auditorum motus , ut de utroque Prælati Apostolici palatii ad ipsum Pontificem mira retulerint , qui propterea aliis Missionarium tam zelosum laudavit .

Post tempus non longum denuo novus labor ei impositus fuit , ut nempe excoleret piscatores , nautas , bajulos , ac similis farinaz alios homines , qui prope minorem Tyberis ripam domicilium habent ; his itaque sacra S. Ignatii Exercitia tradidit , tam appositis ad eorum captum , & motum sermonibus , ut non tantum concursus fuerit ingens , sed etiam extraordinarius fructus , procul amandatis illicitis lusibus , blasphemis vocibus , rixis , ac contumelias : econtra conscientiis sacra confessione , à tota vita , vel saltem à pluribus annis instituta , rite expiatis : fuitque juvenis , quā P. Paulum , tunc , ut dictum , necdum sacris Ordinibus initiatum , rogavit , ut sacram tribunal secum adiret : cūmque sa hic

hic excusaret, quod necdum esset sacerdos, reposuit alter, cupere se tamen ipsi secretum quoddam manifestare: eisque remotis arbitris dixit, se per undecim annos peccatum quoddam in confessione sacrilegè reticuisse, donec tandem proposita quadam ab ipso meditatione fuerit tam efficaciter motus, ut venenum expuerit, addens, se nunc plenum esse solatio, & prouterea se ipsi summas gratias agere.

Finem saeræ hæc exercitationi impo-
suit supplicatio ducta, à memoratæ ripæ ad-
sita S. Rochi Ecclesia, usque ad Divi Petri
Basilicam, magna totius urbis ædificatio-
ne, admirantis insolitam in ea plebe, ali-
as valde inculta, modestiam, ac animi
compunctionem; quin ipse P. Paulus tam
felici hujus à se datæ operæ exitu ita fuit
gavifus, ut diceret, nihil magis à se desi-
derari, quam omnem suam vitam impen-
dere tradendis Exercitiis spiritualibus, &
habendis missibnibus sacris: quæ duo aje-
bat, esse potentissima arma ad debellandum
Luciferum. Tandem, ut omnibus, qui-
bus posset modis, animarum saluti prodes-
set, adhuc tempore studiorum suorum ex-
celeberrimo illo libro Manna dicto, & per
ipsas patruum P. Paulum Segneri senio-
rem edito, triginta, & unam meditatio-
nes, nempe pro totidem mensis diebus,
selegit. quæ scilicet ipsi pro communi ut-
tilitate, ac capacitate magis aptæ sunt vi-

ſæ, easque typis imprimi fecit, ac exemplaria liberaliter hinc inde distribuit, ut exinde fructum haurire quam plurimi possent.

C A P U T IV.

Preparatio P. Pauli ad habendas Conciones, & Improvisa ad aliud Officium Destinatio.

PAULO post, nempe memorati anni 1703. mense Septembri, atque Octobri, Ordines Sacri P. Paulo collati sunt, fini ulque data amplior longè potestas, gloriam Dei, & proximorum salutem promovendi. Cum autem esset dotibus undequaque insignibus praeditus, adeo, ut docendis tam humanioribus literis, quam sublimioribus scientiis, item concionibus ad populum habendis, atque instituendis missionibus sacris, aptissimus esset, dubitari merito poterat, cui præ aliis muneri applicari deberet. Placuit autem Superioribus, cum destinare prædicationi verbi divini; quare necdum omnino finito anno scholastico, postquam, ut jam dictum, disputationem ex universa Theologia subverat, ad tyrocinium, seu domum ad S. Andreæ, ex R. P. Provincialis voluntate se contulit, ut ibi in sacro silentio, & religiosa

giosa quiete, elaborandis concionibus operam daret: id quod ipse magna alacritate aggressus est: quamvis reipsa, non tam sermones quadragesimales, delicatis auribus accommodatos, expoliret, quam ferventes conciones, populo in misionibus commovendo aptas pararet; quippe, ut cuidam amicorum suorum candidè dixit, solus ejus scopus erat animas Deo lucrari, non verò hominum plausus emendicare.

Et sanè id etiam factis ostendit; nam mox sequente Octobri, comite P. Jacobo Philippo Merlini quatuor missiones Sabiniensi in tractu instituit, nempe Scandariliz, & Aspræ, Cantalopi, & Tarani: atque mox se ostendit, ad Apostolicum hoc ministerium singulari habilitate instructum; quippe in auditoribus ciebat tenerrimas lacrymas: nec solum publicis, sed & quæ privatis sermonibus, omnium corda potenter movebat. Tunc quoque insignis P. Pauli patientia patuit; quippe nudis pedibus ambulando spinam calcaneo suo infixit, qua non extracta pluribus diebus circumiit, & quidem asperâ viâ, donec tandem, cum dolor nimis intensus, & periculum mali majoris, diutius silere vetaret, spinam extrahi passus est.

Nec minus tunc patuit magnanima ejus in Deum fiducia; cum enim in prima Scandariliz habita missione pro more educen-

da supplicatio esset, nubes verò nigerrimæ,
& fulgura, atque tonitrua, videri, ac au-
diri coepta, minarentur tempestatem oppi-
dò gravem, P. Paulus iis insuperhabitibus
jussit, Crucifixo prælato dari signum eundi:
& ecce disparuere mox nubes obscuræ,
& imbrium, ac fulminum timores eva-
nuere: cuius rei memoria pluribus annis
apud plebem illam perseveravit: in P. Pau-
lo verò fiduciam de providentia benignis-
sima Dei erga suos ministros plurimùm au-
xit, addiditque ipsi animos ad fortiter
exequenda, quæ ad Numinis gloriam fore
cognoverat, contemptis etiam magnis pe-
riculis.

Dicere quoque solitus erat (quod à
patruo P. Paulo seniore didicerat) se mis-
siones adire instar militis prodeuntis in a-
iem, adeoque ad mortem in quavis tali
sacra functione excipiendam paratum: fu-
tque in ipso semper magis accensus ardor
prosequendi missiones, adeò, ut diceret,
se eas libenter comitaturum, tanquam sim-
plicem socium, & qualemcumque coadju-
torem. Rediit autem absolutis his excur-
sionibus ad tyrocinium, seu domum S. An-
dreæ, ut denuo spiritualia sua arma acue-
ret; quin etiam nova conficeret; cùm ec-
ce, improviso Superiorum mandato, jubet
stationem illam deferere, & in Seminarium
Romanum migrare, atque convictoribus, &
alumnis ibi degentibus, Mäister p̄zesse.

Hoc

Hoc officium, ex se jam scabrosum, erat attentis temporis illius circumstantiis adhuc difficilius redditum; urgenda quippe erat executio statutorum quorundam, quæ multis juvenibus intolerabilia visa sunt; insuper erat P. Pauli Apostolicis intentionibus prorsus contrarium: ipse tamen hec oīcā obedientiā id fuit amplexus, nec verbum ullum opposuit: immo Deo se obtulit, ad vitam omnem in eo sibi ingratisimo munere transigendam; si ita ferret sanctissima ejus voluntas: qua de re scribens ad suum amicum ait, sibi studiose esse deflenda sua peccata, ob quæ sibi dixerit Deus: *Non affumes testamentum meum per os tuum:* & post expressam naturalem suam ab officio illo aversionem sub jungit, se tamen nunquam petiturum eō liberari, nisi à solo Deo.

Tanta animi erga divinam voluntatem subiectio P. Paulo plures à Deo promeruit gratias; quippe non tantum à juvenibus, sed curæ commissis, obtinuit omnem disciplinæ exactæ observantiam, ac parendi promptitudinem, adeò, ut illorum plures gratam ipsius memoriam etiam deinceps servarent: sed ipsem et insignem in spiritu fecit profectum, ita, ut fateretur, se ēo munere, tot euris, atque adeò distractiōnibus obnoxio, majorem, quam alias, cum Deo conjunctionem expertum fuisse; hinc in literis ad amicum datis ei perscripsit,

psit, se apertissimè modò agnoscere, quòd
debeat omnino in omnibus, & per omnia
suam voluntatem obedientiæ sanctæ plenè
subjicere, & sic se cantaturum victorias.
Alia vice scripsit eidem, practicè se didi-
cisse, quòd desiderare non debeat præ aliis
illud etiam munus, in quo plus possit ope-
rari in proximorum salutem, sed in quo
perfectius possit adimplere voluntatem di-
vinam.

At providentia divina non voluit ipsum
in Seminario distineri diutiùs, sed conte-
ta animo, ad omnem suum nutum parato,
ei, quando minùs sperabat, desideratum
Apostolicarum missionum campum aperu-
it; quippe post duos, aut tres menses, in
ministerio memorato exactos, Deo sug-
gerente, Magnus Hetruriæ Dux Cosmus
III. ipsum expetiit. Scilicet ejus ditiones
P. Segneri senior, magno optimi Principis
solatio, olim lustraverat; quare ad eas
iterum excolendas à Societate nepotem
expetiit, de cuius præstanti ad id munus
aptitudine fuerat jam certior factus. Non
potuit Serenissimo, de tota Societate o-
ptimè merito, negari, quod postulabat;
unde P. Paulus à Reverendo P. Provinciali
est inexpectatò vocatus, ac interrogatus,
an difficile ipsi accideret, si ad missiones
destinaretur: cui mox ille respondit, nul-
lam majorem sibi gratiam fieri posse: non
tamen se eam sperare; eoquòd sua peccata
hanc

banc sibi spem adimant; quare monitus est, ut abdicato ministerio suo ad habendas missiones sese accingeret.

Hanc Superiorum ordinationem alii Seminarii curam habentes valde ægrè tulere, atque P. Pauli amotionem impedire conati sunt, exposita utilitate quam maxima, quæ hucusque redundarit, & deinceps sit redundatura in numerosos convitatores ex suavissimo simul, ac efficacissimo ejus modo regendi, omniumque animos sibi arctissimè devinciendi, quo tanto bono privanda non esset nobilissima illa juventus, præsertim, cum non appareret, quis eo in officio substitui possit, bona cum spe, non fecuturi in disciplina recens benè ordinata dispendi; dum econtra ad inchoandas Hetruriaz missiones adesset alius è Societate sacerdos, & quidem magnæ pro his functionibus spei, & expectationis.

Non fuere ignotæ P. Paulo machinæ omnes, ac oppositiones, suo zelo valde contrariæ: attamen intra exactissimæ obedientiæ limites desideria sua continuuit, nullo verbulo pro se apud ullum hominem facto: & quamvis negotium istud ardentissimis precibus commendaverit cælo, id tamen fecit plenissima cum resignatione in voluntatem divinam, adeò, ut, quemadmodum scripsit ad suum articulum, rogaverit Deum, ut, si alter quidam è Societate sacerdos vel unicæ animæ plus lucraturus

præ-

prævideretur, ille potius huic expeditioni admoveretur. Dum dein negotium hoc procrastinaretur (quia nempe non facile reperiebatur, qui æquali, vel salrem non multum inferiore Seminarii utilitate, & convictorum satisfactione substitueretur) ipse nunquam animum inquietum præstulit, sed, ut prius, disciplinæ Seminarii omni cura, & charitate invigilavit, usque ad ultimum diem, tunc vel maximè palam faciens, nobilem illam sui animi dotem, omnia, quæ ficeret, insigni cum applicatione faciendi.

C A P U T V.

Tertius Annus Probationis P. Pauli, & Grandes ejus in Perfectione Religiosa Progressus.

Illuxit tandem dies optata, quo successor P. Paulo est datus, & valedicere Seminario licuit, è quo mox abscessit: non tamen statim cursum missionum aggressus est, sed prius se Florentiam contulit, ubi tertiae probationis, ut solet vocari, annus ab ipso peractus est, quamvis non integer, maximo tamen ejus profectu, inqæ plurimos postea redundaturo. Instructorem ibi est nactus R. P. Josephum Mariam Sotomayorem, virum à prudentia in dirigendis animi

animis ad perfectionem, & ab efficacia ad ingenerandum virtutis amorem, insuper editis asceticis lucubrationibus celebrem. Sub tyrocinii hujus exordia P. Paulus mox secum firmiter statuit, intima quæque conscientiæ suæ in Instructoris sui manus, ut ajunt, deponere: &, cùm initio hujus propositi executioni naturam repugnantem experiretur, eam generosè devicit, non sìne magna sua utilitate spirituali; quippe docente, ac dirigente R. P. Sotomayore, ad excelsam virtutem elevatus est.

Præsertim autem ingentem retulit frumentum ex Exercitiis sacris, tunc pro more per integrum mensem continuatis: quibus durantibus sequentia proposita fecit. Primo, quod semper dependere velit à ductu, ac directione Patris Spiritualis, & in hunc finem, si quacunque de causa prior esset mutandus, novo dare succinctam notitiam de vita eousque peracta, ut is agnoscat, se confidenter cum ipso agere, & vicissim secum pari confidentia agat. Secundò, quod velit suo Patri Spirituali dicere, cuperre se Deo ferventer servire, & hinc non expectare ab ipso consilia fragilitati humanae blandientia, sed ad arduam perfectiōnem ducentia, nec velle sibi ea indulgeri, quæ quidem licet possent concedi probis, ac innocentibus, non autem poenitentibus.

Tertiò, quod velit se penitus, & omni modo

modo subjicere omnibus Superiorum ordinationibus, quibus (ut habebat certissimum) Deus alligaverit gratiam, ac benedictionem: & ad hoc decretum concipientem dicebat se permotum inspiratione divina tam efficaci, ut validiorem tota vitâ non senserit. Quartò, quod exactissimè velit servare regulas omnes absque ulla exceptione; eoquod istæ fidelissimè interpretentur voluntatem, ac beneplacitum Dei. Quintò, quod velit voluntati divinæ suam perfectissimè quoad omnia prorsus submittere, & peculiariter quoad propriam vitam: sive Dœo placeat, eam diutiùs protrahi, sive celerius abrumpi: quamvis (ut ex magna animi demissione addidit) percuperet, aliquamdiu impedi aliorum peccata, ut sic aliquatenus compensaret à se admissa, & propria.

Sextò, quod velit semper habere curam minimorum, e. g. relinquere literam etiam imperfectam, si obedientia aliò vocet: nullam quantumvis parvam admittere singularitatem: à nullo etiam exiguo omnibus communi exercitio sese eximere. Septimò tandem, quod velit studere continuæ sui mortificationi, simûlque paupertati verè Apostolicæ. Proposita hæc detulit P. Instructori legenda, ac, prout ipsi in Domino videretur, probanda, aut corrigenda. At hic, ut dictum, insignis asceta, atque animarum director, hæc notatu dignissima verba

verba subscrispsit: *Hoc fac, & vives. Confortare, & esto robustus. Omnia poteris in eo, qui te confortat. Spera in Deo, & dabit tibi petitiones cordis tui; ideoque in eo uno delectare, & nihil proficiet inimicus in te, & filius iniquitatis non apponet nocere tibi.* Dico iterum: *Hoc fac, & vives; qui enim via, veritas, & vita est, tecum erit in omnibus vijs tuis, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum.*

Quod autem P. Paulus proposita iste^zc omni fidelitate servaverit, negari non potest: certè de ejus mortificatione, ac pauperitate, insigne testimonium dedit modò laudatus R. P. Sotomayor: &, ut duntaxat modicum quid de ipsis h̄ic afferatur, duabus per dies singulos vicibus in se flagello s̄aviebat: rursus omnibus diebus cilicio, seu acuminosâ catenâ, sese cingebat: dormiebat etiam tempore frigido super nudis asseribus, tenui solùm involutus lodicula: quin etiam tam duram quietem brevi rumpebat: alias etiam contra frigus se non muniebat, sed cruda quoque hyeme manus rigentes, absque tegmine omni, Borealis ventis gerebat expositas: qua tempestate etiam longo tempore, deposito quoque contra aliorum morem parvo pileolo, & ab omni sustentaculo remotus, ac genuflexus, orationes tam mentales, quam vocales, quin & horas canonicas, persolvebat: insuper alias varias corpori ex se debili infrendas

rendas molestias sibi ipsi præscriperat; eásque vel ideo graves, quia quotidianas.

Quod verò spectat ad paupertatem, non tantum non voluit frui sibi legatis à moribunda matre pecunijs, sed eas mox in Superiorum manus remisit, verùm etiam alijs omnibus non summè necessarijs se abdicavit: solam sibi retinuit Crucifixi imaginem, & exiguum ad excutiendos ex silice ignes instrumentum chalybeum, cuius scilicet usus saepe de nocte in missionibus esset futurus: aliorum autem Superiori traditorum loco sibi dari rogavit regularum Societatis libellum, quem, ajebat, exinde futurum unicum suum thesaurum. Ulterius Superiori schedam quandam exhibuit, inscriptis propositis varijs de paupertate strictè observanda; quippe secum statuerat, nullas ad suum usum pecunias, etiam titulo eleemosinæ datas, unquam recipere: alia quoque donaria, ab amicis submissa, non sibi retinere, sed mox ad Superiorē alijs impendenda deferre: nunquam etiam admitters res, à consanguineis suis oblatas, ut ijs ipse fruatur.

Præterea decreverat, quod velit in hospitijs, ad quæ occasione itinerum debebat divertere, paupere mensa esse contentus: quin etiam ipsa itinera, nisi in valetudo, obedientia, aut majus Dei obsequium, aliud exigeret, semper pedibus facere, nec circumferre sarcinas quasdam majores, sed ampli-

simplicem sacculum cum modica supellec*ti*-
le linea, Breviario, ac Exercitijs à P. Pin-
montio compositis: rursus non acceptare
extra prandij, vel cœnæ tempora, potum
quemcumque, quamvis ab alijs usurpari so-
litum, ad restaurandas laſſi corporis vires:
minus secum habere, etiam sub specie ne-
cessitatis conservandi vocem concionibus
necessariam, dulciaria quædam, aut saccha-
ro temperatos liquores.

Statuerat insuper, portare semper vestes
detritas, quin etiam affutis pannorum fru-
stis refectas, quandiu absque indecentia
possent gestari: habere curam diligentem
rerum, ad suum usum suppeditatarum: cubi-
culum nullatenus ornare: minus illud re-
bus suaveolentibus ad narium delicias im-
plere: immo nihil non omnino necessarium
in eo retinere; unde vel Directorium, ut
vocamus, noluit singulare habere, afferens,
commune omnibus expositum, facile à se,
si opus fuerit, consuli posse.

Interea tamen non suum duntaxat in
virtute profectum, sed proximorum quo-
que utilitatem, quantum poterat, strenue
curabat, serviendo infirmis in nosocomijs,
aut instruendo Christianâ doctrinâ carcere
clausos, eosdémque consolando, ac ad-
hortando ad patientiam. Sanè Serenissi-
mus Magnus Dux, ut de hoc P. Pauli zelo,
& charitate, optimè erat instructus, ita
optimam spem de ipso concepit; hinc eum

denuo clementissimè invitare dignatus est, ad inchoandas sacras excursiones, submittendo necessarios in eam rem sumptus, anno 1706. 25. Januarij, quo S. Pauli Conversio-
nem Ecclesia celebrat, addens, se hoc ideo
facere; eoquòd hoc festum ipsi onomasti-
cum sit: ex quo tam P. Paulus, quām ejus
Superiores, meritò intulerunt, Serenissi-
mum Principem cupere accelerari Aposto-
licam expeditionem, quod etiam mox
sequente vere est factum, et si tempus ter-
tiz probationis vix dimidiā partem esset
elapsum.

C A P U T VI.

*Primæ Missiones P. Pauli in Diœcesi
Aretina institutæ, & Exercitia sa-
cra Parochis tradita.*

ITaque P. Paulus à suis Superioribus, &
per eos missus à Deo, ad inchoandum su-
um Apostolatum, primò venerabundus
se stitit Serenissimo Duci, qui singulari fa-
vore, ac benignitate eum exceptit; quippe
piissimus Princeps existimavit, le recipere
patrium in digno nepote, qui simili virtu-
te, ac zelo, & ad hæc ministeria habilita-
te, prædictus esset. Qūantum autem præse-
tulit desiderium, ut citò missionibus dare-
tur initium, tantam Missionario libertatem
reli-

reliquit, locum, qui primus excoletetur, diligendi: & delegit hunc P. Pauli non inclatio animi, sed amor obedientiae.

Quippe, et si non leves (ut ipsemet in epistola quadam significat) rationes haberet, Aretinam Diœcesin in aliud tempus differendi; quia tamen P. Curtius Sestius, tunc Præpositus Romanæ Provinciæ, ostendebat sibi videri, prima obsequia deferenda esse Reverendissimo, ac Illustrissimo Domino Benedicto Falconcinio Aretino Episcopo, de Societate optimè merito, non dubitavit mox in arenam hanc progredi. Et certè fuit hoc divinæ providentiae opus; namque hac ratione primò incidit in Antifitem, missionibus summè addictum, & laborum illorum sincerum æstimatorem, cuius gravissima de P. Pauli gestis testimonia scripto submissa, saepius per decursum hujus historiæ erunt adducenda.

Prodijt autem recens hic Missionarius, non tanquam tyro novæ sacræ militiæ, sed quasi dux veteranus, & peritissimus hujus pugnæ instruendæ, prodiit, inquam tempore verno anni 1706. comite P. Francisco Xaverio Constantio, qui dein pluribus sequentibus annis eum secutus est. Aretium appulsus, accepta ab Episcopo benevolentissimo benedictione, Subrianum Diœcesis Aretingæ locum contendit, ibique missionibus initium dedit, ea methodo usus, quam à patruo suo P. Segneri seniore cum maxima

fructu in usum deductam sciebat. Et statim primo ejus labori optatus respondit even-
tus, adeò, ut ad P. Oliverium ipsem et scri-
pserit, per Dei gratiam hoc in loco eos fru-
ctus se collegisse, quibus esset contentus.
Subrianensi missioni successere mox aliæ
plures, Tallensis, Montejorensis, Quaraten-
sis, Laterinensis, Borrensis, Lorenensis, Ter-
ranovensis, Buccinenensis, quæ multas occu-
paverunt hebdomades, ita, ut secundarum
frugum tempus ingrueret, quo, cum messe
domum vehenda impediti agricole adesse
non possent, labores hi erant intermit-
tendi.

Sub finem Augusti, & Autumni initium,
P. Paulus rufus in aciem prodijt, & Am-
bram, Montem Bevichum, Castellum no-
vum, Pulcilianum, Civitatellam, Palati-
olum, Oppidum S. Marcellini, Lucigna-
num, Foianum, Montem S. Savini, & Ca-
stellum Florentinum, excoluit. Evidem
in principio quarumdam ex his missionibus
non inveniebatur flexanimis populus, &
primis diebus auditores aderant pauci, nec
ij fatigantes, nec debita estimatione
tam sanctæ functionis imbuti: at zelus ar-
dentis Missionarij tandem omnes difficulta-
tes exuperabat, & semper creseebat accur-
rentium numerus, ac præsentium fervor:
certè Illustrissimus Dominus Falconeinius
Episcopus fuit testatus, non sciri ullam per-
sonam, quantumvis eousque salutis suæ
negli-

negligentem, quæ non peracta sincera confessione se ad Deum converterit, tam universalem fuisse omnium commotionem, excitatam tam diurnis, quam nocturnis missiōnum exercitijs, ut etiam obstinatissima corda tandem gratiæ divinæ impulsibus cederent: omnes vehementer esse commotos, resonante planctu communi, fusis lachrymis, & lachrymosis vocibus misericordiam, & veniam sibi rogantibus, simûlque offensas in se admissas sincero animo condonantibus: dum interim P. Paulus, præ cunctis intus amore divino accensus, potenti suo eloquio, audientium omnium affectibus dominaretur, & saxa corda molliret: qua in re extraordinario Dei auxilio apparuerit adjutus. ita memoratus Antistes, addens, scripsisse *cum omni veritatis rigore.*

Memorabile valde est, quod in quadam ex his missionibus contigit. Frigebant omnia ferè ad usque ultimum diem, quo Pontificia benedictio populo erat impertienda: imò neque tunc monstrabant se promptos ad eam accipiendam; eoquòd ei dandæ selecta esset planities, duobus ferè milliariibus distans: attamen P. Paulus efficaci sua suada evicit, ut tum loci inquilinorum, tum exterorum rusticorum, numerosus esset concursus; cùm subito pluvia impetuose delapsa turbavit omnia: at hac non teritus Missionarius pegma conscendit, & elata in altum Crucifixi imagine, intensissimo

cum affectu, & lachrymis copiosè profusis, concionem alloqui coepit: & ecce ad prima ejus verba, tenui adhuc sono prolatæ, omni in populo orta est tanta compunctione, comploratio, ac misericordiæ divinæ inclamatio, ut vix tantum silentij obtineri potuerit, quantum necessarium erat ad recitandas per breves preces, solitas benedictioni Papali præmitti, adeò, ut quidam illi spectaculo præsens asseruerit, tam inexpectatam, in circumstantijs illis summè contrarijs, cordium mutationem, non nisi altiori causæ posse adscribi.

Et sanè videtur optimus Deus ad hunc suum Ministrum homines mirabili intus vocatione traxisse, ita, ut etiam in locis pene desertis (ad quæ per vias oppidò asperas erat enitendum, & in quibus annona, & victus, valde ægrè obtinebatur) ad quatuordecim millia hominum convenerint: videtur etiam Deus eidem adstituisse specialibus auxiliis gratiæ, ut dignos pœnitentiæ, ac aliarum virtutum fructus, in auditoribus suis copiosè produceret: sic in quodam loco, ubi numerus populi non erat adeò magnus, tamen quadringentū circiter in nudata terga sæviebant flagellis: sic, cùm tonaret è pegmate contra chartas, & aleas, libros obscenos, & hujusmodi incentiva malorum, statim magna vetitarum talium mercium copia, in geminis

nis grandibus pelibus, fuere allata, & flammis publicè tradita.

Sic, cùm invehēretur alicubi, in nocturnos utriusque sexūs conventus, & periculosas vigilias, integræ communitates compromiserunt, non permissuras, quinque proximis annis, ut de nocte suis in domibus suspectæ vigilæ fierent: quin plures, quām viginti personæ, quædam in quinque, quædam in septem, quædam in omnes vitæ annos, se obligarunt, scripto juridico Illustrissimi Episcopi manibus tradito, quod certam pecuniaæ summam subministrare velint puellis nubentibus, quæ allato legitimo testimonio Parochi fidem facere possent, quod post missionem similibus vigiliis, seu congressibus, ac saltationibus abstinuissent. Puellæ præterea sericis tæniis, vittis, ac similibus ornamentiœ fœmineis, se spoliarunt, ut labarum, Deiparæ imaginem referens, & in supplicatione præferri virginibus solitum, ijs ornarent: sicutque Laterinæ quædam recens desponsata, quæ talia ornamenta, nuptialibus vestibus suis detraxit, ut similis imago cælorum Reginæ iis exornaretur.

Vicissim cælum beneficiis vsriis, ac favoribus extraordinariis, missiones P. Pauli honorare dignatum est. Ad certum locum, comitante agmine supplice, tulerat sacras reliquias Divi Xaverii, & præmissa brevi ejusdem Sancti vitæ narratione, illas applicavit

cavit cūdām personæ, acutissimo capitīs dolore afflictæ: & eodem momento, tanto malo est liberata, stupentibus circumstantib[us] cunctis, & Parocho quodam ita commoto, ut statim sese obtulerit, ad erigendam suis impensis Divo tam beneficaram, atque mox centum, & amplius florenos tradiderit, ad comparandam imaginem Xaverianam, in ara statuendam: promiserit insuper, novi facelli fabricam adhuc mense Augusto illius anni esse finiendam.

Præcipuè tamen P. Pauli ardor, & cura, eo tendebat, ut propagaret honorem, & cultum Beatissimæ cælorum Reginæ, quam statim sub initium aditi Apostolici muneris missionum suarum Patronam elegit. Accepterat ille sub suum Florentiâ discessum à Serenissimo Duce particulam veli virginis ejusdem gloriofissimæ Deiparentis, & quidem authentico testimonio consignatam: quo dono pretioso ipse sapientissime usus est, ad excitandam, non duntaxat in se, sed in populis omnibus, maximam devotionem erga Matrem divinam: non tantum solitus est, eam sacram particulam publicæ venerationi exponere, & inde occasionem, ac motiva Virginem laudandi, ac invocandi, defumere: verum etiam illâ aquam benedicere, quæ dein debita cum fiducia erga Deiparam hausta, vel aliis modis adhibita, plurima, & maxima beneficia in varios contulit.

Exem-

Exemplo sit sanatio cuiusdam puellæ, quæ auctoritate legitima postea est confirmata. Hæc gravissimè ægrotans, cùm jam ad extrema esset deducta, ac sanctissimis morientium sacramentis munita, & jam triduo in agone jaceret, aliquid aquæ, velo Mariano sacratæ, à suis porrectum accepit, dum interim adstantes recitatis Lytaniis Beatissimam Virginem in opem vocarent: & eodem momento infirma vocem recepit, & dixit: O sanctissima Virgo! tu me sanâsti: sum sana: atque his dictis surrexit è lecto, ac domum obambulavit: & post dies senos iter duodecim milliarium pedes confecit, ut ad communionem generalem, Quaratz tunc celebratam, se fisteret.

His expeditionibus sacris tempus usque ad finem Autumni impensum est, quo tempore P. Paulus finiit primum annum suarum missionum, ea divinæ gloriæ amplificatione, ac etiam sui nominis fama, ut exinde ab omnibus instar Apostoli honoraretur. Cogitabat tunc ipse redire Florentiam, ut in domo tertiaz probationis re-colligeret spiritum, tantis laboribus, ut rebatur, dissipatum: simul etiam orationi magis insisteret, ac nova arma in sacrum bellum pararet. At Illusterrimus Falconci-nius à R. P. Provinciali impetraverat literas, quibus jubebatur P. Paulus Aretij sistere, & R.R. Dominis Parochis Diœcesis illius spiri-tuali-

tualia S. P. Ignatij Exercitia tradere : quem in finem ipse Episcopus intra suum palatum quatuordecim cubicula parari curaverat.

Acceptavit hoc mandatum eo lubentiūs, quo magis durantibus missionibus animadverterat defectum instructionis in plebe, & quandoque etiam defectum boni exempli in pastore: nec mirum esse , si aliquando invalescant abusus in populo, quando non sunt remoti ab ipso sacerdotio ; unde censuit, offerri sibi occasionem valde opportunam his malis mendendi , dum Dominorum Curatorum animos speciali, & ipsis peculia- liter accommodata methodo , ac cura, posset excolere: quin existimavit, non minori fructu se laboraturum privatim, & in quiete Aretij, explicando Exercitia sacra , quam hucusque laboraverit, totam, quam ampla est, Dioecesin percurrendo , ac publicè, & cum strepitu concionando.

Non autem tantum hoc anno 1706. sed iterum sequenti 1707. Dominis Parochis ingenti cum fructu Exercitia tradidit, rursus ex voluntate Serenissimi Magni Ducis in hunc finem Aretium reversus : & quolibet anno per tres quasi menses continuatos duravit hic labor; quippe quatuordecim Domini (tot enim erant cubicula) simul exercebantur, & novem vicibus alij alijs succedebant: eodem autem modo P. Paulus semper est usus in proponendis dictis commentationibus sacris. Cœpit anno 1706. sexta

sextâ Decembris, & absolvit in fine Februario: anno verò 1707. (cujus sub exitum rursus, sed verosimiliter tardius cœpit) extratus est labor usque in Aprilem anni 1708.

Obivit autem etiam ipse P. Paulus eadem Exercitia sacra cum Dominis Parochis, eratque cum ipsis diu, noctuque, pari in solitudine, atque silentio, ita, ut ab Antistite ipso persuaderi vix posset, ut intratam longum tempus, una, aut altera vice ad captandam auram liberiorem parumper domo exiret: &, si tandem id faceret, brevi iterum revertebatur, ut aliis præiret exemplo exactæ in omnibus observantia, & plus doceret factis, quam verbis. Convivebat his sacerdotibus, orabat cum ipsis, quin etiam utebatur mensa communi: privatim verò eos consolabatur, animabat, instruebat; audiebat generales eorum confessiones, solvebat dubia, præscribebat remedia, & methodum reformandæ vitæ propriæ, ac emendandæ etiam alienæ, seu ovium ipsis concreditarum.

Hæc omnia utique constabant magno labore, nec minore molestia, ut nemo negaverit: idque præ aliis advertit Illustrissimus Aretinus Episcopus, qui inter alia etiam scripsit, hanc solitudinem, & audiencium paucitatem, absque dubio P. Paulo gravem accidisse, utpote jam assueto prædicare in publico ad auditorem numerosissimum: præterquam, quod inter tot sacerdotes

dotes non defuerint quidam minus capaces directionis asceticæ: alii minus doctiles, vel etiam difficiles, ad recipiendam perfecti Ecclesiastici formam; unde bono Patri opus fuit uti magna arte, atque prudentiâ, ac etiam patientiâ laboriosâ, donec illam in ipsis perficeret, partim orando, partim suadendo, nunc hortando, nunc terrendo, nunc aliter incitando, ijs vijs, ac rationibus, quas cuique magis congruas fore diligentí attentione didicerat.

At exitus istorum laborum fuit tam felix, ut, quotquot in eam sacram solitudinem sese receperant, tam quoad mores, quam quoad animi sensa, in melius mutati prodirent. Certè Illustrissimus Antistes retulit ipse, sacerdotem quendam, reformationis præ alijs indigum, à se interrogatum, quem ex Exercitijs fructum retulerit, sibi reposuisse, P. Pauli modum agendi habere dulcedinem quandam certâ acrimoniâ mixtam, qua se intimè cujuslibet cordi insinuet: ipsius verba vehementer animum stringere, aut gladiorum instar transfigere. Reipsa sacerdos hic fuit animo valde compuncto, & post non longum tempus, cùm finis vita ejus appropinquasset, inter intensos eontritionis, ac variæ devotionis affectus, creatori animam reddidit.

Testatus insuper est idem Illustrissimus Falconcinius, sibi ex his Exercitijs obvenisse commodum ingens, non ideo tantum

tum, quod Parochi majore cura deinceps populo pascendo se dederint, sed quod etiam ipsi coeperint exinde, majore cum fiducia, atque meliore affectu, secum negotia sua tractare, ut adeo jam mutua charitate omnia fiant, & regimen Dicecensis multo ordinatus, ac quietius sit: qui fructus Exercitiorum ipsi videatur pluris estimandus, quam alter ex missionibus relatus, quantumvis magnus. Et sanè Parochi plures, ex solitudine illa sacra progressi, non fuere contenti, proprias animas sanctificasse, sed etiam oves suas ad omnem virtutem, ac pietatem, promovere conati sunt, introducendo varias consuetudines pias, aut publicè prælegendi libros spirituales, aut frequentius percipiendi sanctissima sacramenta, ac sèpius audiendi sacros sermones, aut nomen suum tradendi confraternitati de bona morte, aut similia opera bona præstandi.

Quin imò bonus odor Exercitiorum illorum traxit etiam alios, ad subeundam solitudinem eandem; quippe hoc exemplo permoti plures subsequentibus annis eadem sacra ascensi erudiri voluerent: inter quos aliquando fuerunt simul eum in finem congregati duodecim Domini Canonici. Ità Numen benignum benedixit huic labori; & hinc P. Paulus in quadam epistola sua gratus agnoscit, se tunc temporis specialibus lupernis auxilijs à Deo fuisse præventum.

CAPUT

C A P U T VII.

*Missiones P. Pauli in alijs Hetruriæ
Locis, ac dein Aretij babitæ.*

Finito labore tradendorum Dominis Parochis Exercitiorum P. Paulus mox est reversus Florentiam, ut ibi in domo tertiaz probationis paulisper se recolligendo restauraret animi vires, ac denuo missionibus novis se prepararet, ne alias (quemadmodum ipsem et scribit) peculiari protectione divina, suo Apostolico muneri nimium quantum necessaria, indignum se redderet. Non excoluerat anno antecedente ipsam urbem Aretium, quamvis ejus Diaconis plurimo cum fructu lustrasset; quia ex profunda animi sui demissione non se ingerebat civitatibus, aut locis magis celebris: sed malebat sudoribus suis rusticos campos rigare, & pauperibus evangelizare: obedire tamen oportuit anno 1707. voluntati Serenissimi Ducis, & Illustrissimi Episcopi, qui, dum viderent fructum ingentem alibi relatum, sperabant adhuc copiosiorem futurum ipsa in urbe.

Antequam tamen P. Paulus Aretium tenderet, sub initium veris alias terras intra Diaconis Fesulanam adixit, ad quas eum invitavit Illustrissimus Dominus Horatius Panciaticus Fesularum Episcopus: scilicet

licet adiit oppidum S. Joannis, Figlinum, Montem Varchum, Castellum Francum, & Casciam: fructum autem ex his missionibus magnum fuisse, non tantum testatus est Adm. Reverendus P. Petrus de Castello Franco Ordinis Minorum de Observantia, sed etiam P. Bartholomæus Rota Societatis Iesu, qui Aretio fuit submissus, ad suppletandas vices P. Romæi, ob morbum contractum à laboribus illis amoti: quin ipsemet P. Paulus afferuit, cælum tunc conatibus suis benedixisse.

Et sancè in oppido S. Joannis ex primis quidam, qui per quinque integros annos nunquam loqui voluit cuidam suo cognato, tunc obstinatum odium posuit, & ad inimici domum se conferens veniam ab eo humiliter petiit. Alius item ibidem primarius vir quadraginta annorum, post concionem, de reverentia parentibus debita habitam, publicè à patre suo precatus est veniam. Postea pœnitentium supplicationem Reverendi Patres Ordinis Reformati S. Francisci, funibus collo circumdatis, & spineis coronis capiti impositis, quin & flagellis sibi incussis, cum maxima populi ædificatione, & commotione, sunt prosecuti: lachrymæ quoque, & de peccatis dolentium gemitus, ubique abundabant, & resonabant.

Figlini coepit est missio octavâ Maii, & quamvis diabolus excitatis, nescio, qui-

D bus

bus tricis, concursum, & fructum im-
dire tentaret, tamen P. Pauli prudentia
moꝝ cuncta fuere composita, & numerus
eò confluentium superavit spem omnem,
ac expectationem, causam Dei multum
promoventibus Admodum Reverendis PP.
Conventualibus, qui ad Capitulum Pro-
vinciale tunc congregati, non tantum suā
præsentia honorarunt sacras functiones,
sed eas, uti & Missionarium, magnis lau-
dibus extulerunt. Clamores autem, &
pœnitentium fletus tanti sunt orti, ut con-
cionator nequirit intelligi: & quamvis
rogaret, ut affectui nimio moderarentur,
non tamen impetravit silentium. Quan-
do autem de reconciliatione inimicorum
sermo est habitus, Ecclesiasticus loci Prä-
positus alta voce ab omnibus veniam pe-
tiit, ac P. Paulø publicè dixit, promptum
se esse, ad dignitati omnino renunciandum,
si id ipse expedire censeret: quod postea
eidem iterum privatim repetiit, ac super
ea re consilium seriò petiit.

Decimā quintā Maii inchoata est missio
in Monte Varcho, simili fervore, ac fructu:
præprimis autem spectabilis fuit supplica-
tio instituta de nocte, copiosis illustris lu-
minibus, sed magis pœnitentiæ exemplis,
qualia etiam dedere ipsi Domini Canoni-
ci, & RR. PP. Conventuales S. Francisci.
Ibi quoque Dominus Präpositus fune, ad
ecollum ligato, & genibus flexis, veniam

à toto populo petiit : quem secuti sunt Domini Canonici, ac sacerdotes loci illius : & hos imitati sunt sacerdotes, etiam milites: ex quibus decurio quidam se sponte obtulit, ad præstandam quibusdam gregariis satisfactionem, quam justitia posset exigere: quin secularium aliquis bono quidem, sed non secundum scientiam zelo, in pegma prossiliens, non tantum petiit, ut plena manu sordes ab omnibus in se concicerentur, sed etiam pugione transfigeretur ; eoquod ipse suis peccatis Christum Dominum crucifixisset. Concurrentium ad benedictionem Pontificiam numerus creditus est superasse triginta millia hominum.

Missionem in Castello Franco cœptam vigesimā secundā Maii turbare conatus est dæmon, excitatis vehementibus nimbis, ac tempestatibus; at non impedire permisus est fructum, maximè inimicorum reconciliationem, quæ tunc præsertim incurrit in oculos, quando post concionem, in campo aperto habitam, redibant amicabiliter associati, qui priùs acerbè inter se dissidebant: quin fuit centurio, qui in media adstantium corona, genibus flexis, & rorantibus lachrymis, injuriatum à se illatarum veniam petiit: quo audito accurantes ad eum milites Christiana charitate ei rursus uniti sunt. Cùm autem pluvias continuas non permitterent, in loco pa-

D à tenti,

tenti, ut alias solitum erat, dari benedictionem Papalem, P. Paulus hanc quasi pœnam, à Deo suis peccatis inflictam, pro concione deplorans, auditores ad copiosissimos lachrymarum imbres commovit. Plures tamen, insuperhabita tempestate adversa, in campum alias designatum se contulere: quod valde commodum accidit; quippe locus, ubi tunc data benedictio fuit, multitudinem tantam capere non potuisset.

Pariter successum optatum est noctis missio Casciensis Parochia, ubi Ninives instar ad Jonæ prædicationem populus omnis magno fervore, & pœnitentiam, & ejus signa, fuit amplexus, etiam sexus fœmineus, animatus exemplo nobilis Dominae, quæ spineam coronam capiti impolitam, & funem è collo pendulum gestans, præferebat mulieribus cruce: alia vero istidem nobilis Domina publicè à rusticis subditis, & operariis suis, offensas à se factas est deprecata. Factæ tunc etiam sunt restitutions magnarum summarum pœnæ, una etiam ultra mille florenos. Sublatæ quoque sunt inimicitiaz, una præsertim, quæ à patrato homicidio orta ita effraverat animos, ut eousque concordia nulla ratione conciliari potuerit: tunc tandem pax inita est, & Notarii publici manus firmata.

**Venit tandem P. Paulus Aretium, a-
vidè**

vidè expectatus à civibus, & avidius ab Illustrissimo Domino Falconcinio Episcopo. Die 12. Junij, in quem eo anno festum Pentecostes inciderat, missionem est auspicatus, de qua modo memoratus Antistes, functionibus maximâ diligentia præsens, summa cum laude plurima retulit: & in primis, postquam dixisset, se olim quoque interfuisse missionibus, à P. Segnèri seniore, nostri P. Pauli patruo habitis, pergit, dempta illa grandi auctoritate, quam optimus senex, pluribus sui ministerii annis, & doctrinâ editis insignibus libris vulgarâ, sibi paraverat, visum sibi esse P. Pauli junioris modum dieendi longè suavius auditorum animis se insinuantem, affectumque multo abundantiorum. Addit, se observasse, P. Paulum esse gracili corpore, & lateribus neutiquam firmis; cùm senior corpore fuisset longè robustiore, & tamen illum pari cum intensione concionatum fuisse, atque eodem pœnitentieulum rigore, quem adhibuerat patruus: negasse insuper corpori necessariam refectionem, atque quietem; & hinc mox timere se incepisse, ne tanto laborum ponderi brevi succumberet: sc̄ sepius ipsum rogasse, ut fervori nimio moderaretur, præterim, ne tam crudeliter in se flagellis se viret: at nil impetrâsse; cùm zelus ipsius, amore Dei, ac salutis animarum præoccupatus, monitis illis apres. occluserit.

Ad particulares autem missionis illius eventus descendendo, in primis memoria dignum est, quod, cum ad illam à remotis quoque locis, & sole valde uretate, accurrerent plurimi, foemina quædam sic ad missionem properantes deriserit, jactis in ipsos etiam jocis aculeatis, quod tantos gestus sponte subirent. At die sequenti audiit, sibi interius dici, ut & ipsa festinaret Aretium, ac reportaret iridè salutem: & quidem secunda, ac tertia vice ita monita est, donec tandem in viam se dedit: & opportunè ad concionem de inferno advenit, qua finita duæ palam notæ meretrices, inductæ pœnitentium habitum, publicè primum à Deo, dein ab omni populo veniam sceletum, & scandalorum datorum rogârunt: & idem fecissent aliæ plures, nisi graves ob causas impeditæ fuissent.

Itaque foemina dicta, & efficacissimè sermonе, & tanto exempli, vehementissimè mota, mox se ad confessionem à multis annis peragendam paravit, quam postea exactissimam fecit sacerdoti cuiusdam, missionibus neutriquam bene affecto, qui etiam aliquibus foeminis, sive directioni sponte subjectis, parum favorabiliter de illis erat locutus. Hie ergo miratus tam exactam exomologesit, ex confitente quæfuit, unde didicerit, sicut exactè ad pœnitentia sacramentum parare: coi illa reposuit, quod modo ipsi contingisse narratum

tum est. Tunc sacerdos, postquam eam absolvit, mox ad templum Societatis IESU perrexit, & de sua mala opinione eosque habita circa missiones, & verbis contra eas prolatis, se accusavit intra, & extra confessionem: insuper etiam, quæ suis in spiritu filiabus improvidè dixerat, sincere retrahavit.

Accurrerunt autem ad sacras functiones, non tantum incolæ urbis, aut vicinarum terrarum, sed etiam plurimi à locis ultra Diœcesis fines valde remotis. Ipso mane festi Pentecostes jam adfuit ex Cascensi Parochia (quæ ultima missione à P. Paulo fuerat exculta) confraternitas pia, ex ducentis viris, ac sacerdotibus septem composta, comitantibus non paucis etiam foeminiis: & longè plures se dedissent in viam, nisi parochus in absentia ferme omnium furca, & similia committenda metu timens, plures ire prohibuisset: & tamen via 33 milliarum Italicorum erat emetienda. Die eadem accurrit quoque numero parùm inferiore Figlinensis confraternitas S. Francisci Xaverii, 26 milliaribus dissito: per dies verò consequentes venire complures intra Diœcesin sitæ communites.

At dominicâ ultimâ, qua communio generalis erat instituenda, præter numerosam confraternitatem ex Monte Varcho, 18 milliaribus dissito, adfuit ex locis aliis e-

tiam remotis, multitudo hominum tanta, ut posset videri magna pars incolarum Hetruriaz Aretium congregata fuisse: certè 25 millia hominum fuere sacra dape refecti: de iis vero, qui impertitæ Pontificiæ benedictioni adstitere præsentes, dici potest absque omni exaggeratione, eos triginta millia excessisse, ut adeò multi, qui etiamnum habebant recentem quasi memoriam missionum, olim à P. Segneri seniore institutarum, asseruerint, majorem ad missiones junioris fuisse concursum intra hebdomadem diebus non festis, quam fuerit ad missiones illius etiam ultima die, quando nomine Papæ benedictio impertiebatur. Et tamen in tanto hominum diversissimorum confluxu, ut plures notarunt, nunquam contigit, aut perturbatione ulla, aut offensa cuiusdam: sed omnia semper suo ordine, ac decore, non sine plurimum admiratione fiebant.

Ex his autem functionibus sacris maximam in hominum mentes vim habere est visa supplicatio pœnitentium dicta, quæ alternis noctibus à P. Paulo instituebatur, atque interpositis ardentibus allocutionibus animabatur, juncta ordinariè quadam imagine, aut exhibitione, quæ materiæ tunc tractandæ congrueret, & phantasiam speciebus valde vivis imbueret, consequenter intellectum, ac voluntatem moveret. Et quidem in supplicatione postrema, Arezij

zij educta , ultimam allocutionem P. Paulus aspera sui flagellatione finivit , simûlque clamavit , quendam esse peccatorem durum , ac obstinatum , qui necdum veram de suis sceleribus poenitentiam egerit ; hinc aliud sibi non superesse , quâm , ut pro miserabili homine se flagellaret usque ad mortem : atque hæc dicens validissimos iectus sibi incusit : populus econtra lachrymis perfusus eum , ut à tanta sui carnificina cessaret , rogavit .

Tum verò ille reposuit : Tanta erga misserum me peccatorem compassione movemini ; quia me pro vobis affligo : & nullo pio affectu feremini in optimum Deum , qui omnem suum pretiosissimum sanguinem pro vobis in cruce profudit ? Dum autem hæc diceret , quatuor ad hoc constituti Diaconi attulerunt mortuali in feretro mortui Servatoris Christi JESU imaginem , cuius asperitas ex cunctorum præsentium oculis copiosissimas lachrymas , ac altos imo ex pectora gemitus traxit . Insuper quidam plurimum scelerum reus , visa devota illa imagine , & animorum omnium compunctione , tandem intimè motus , sacerdotem quendam rogavit , secum Ecclesiam Cathedralem subiret , ubi totus quantus contritus sincerissimam confessionem peregit . Plures deinde nobiles viri , peractis publicæ poenitentiæ operibus , & præmisso examine diligentissimo , aut apud P. Paulum , si poterant , aut apud ejus socium , vel alium ex Collegio Padre

trem totius vitæ peccata deposuerunt: aliquæ verò nobiles foeminæ ipsas septem, vel octo horas, in templo Societatis expectaverunt immobiles, donec tandem apud P. Paulum conscientiam expiare potuerint.

Sequenti dominica, seu festo SS. Trinitatis, eadem cum omnibus reliquis Dominabus nobilibus, modestissimè vestitæ, ac vultu velato, multisque alijs editis humilitatis, ac pœnitentia signis, atque pulcherrimo ordine, simul processerunt è templo Societatis ad Cathedram Ecclesiam, ibique ad communionem generalem participandam fere stiterunt, non sinè magna totius urbis ædificatione. Simili exemplo fuere viri nobiles plures, qui indui saccis, seu togis Congregationis B. Virginis Annuntiatæ, accessere ad eandem sacram synaxis, & spectabili sua devotione civitatem omnem ad pietatem incitaverunt. Eadem die advenere ducenti peregrini ex Monte Varcho, octodecim milliaribus disto, & ipsi saccis, seu togis suæ confraternitatis amicti, ac sacra dape reficiendi: quorum aspectu nobilis quidam tandem penitus motus est, ut & ipse conscientiam suam seriò examinaverit, & exinde confessio nem non sinè multis lachrymis instituerit.

Durante quoque hac missione non paucæ iniuritiæ graves fuere sublatæ: & offendit, quia priùs de satisfactione sibi redenda tractarent, solâ verborum P. Pauli efficac-

efficaciā moti, publicē veniam dederunt, & pacem: imò quidam, cuius frater erat necatus, proprio sanguine chartam conscripsit, in qua occisorī veniam dedit. Verbo, ut quædam magnæ authoritatis persona Aretio scripsit, missio illa finita est maxima cum omnium ædificatione, & magna in omnibus morum mutatione, adeò, ut tunc laudabilissimus de ea fuerit sermo, & alius longè, quam qui sub ejus initium à quibusdam audiebatur. Ipse verò illustrissimus Episcopus per certum quendam à se delegatum Romæ Adm. Reverendo P. Michaëli Tamburino Generali Societatis, solennes gratias referri curavit, ob plurima bona per aliquem filiorum suorum toti Diccesi suæ missionis tempore præstata.

Solus ob multiplicatas tunc suas clades infernus infremuit; unde conatus est saepius sacras functiones turbare, excitando turbines, ac minando tempestates. Sic semel, quando tempus erat omnino quietum, subito immisit ventum tam impetuosum, ut ingens aliquod velum, sub quo numerosus populus stabat, ingenti cum strepitu, ac adstantium terrore, & perturbatione, fuerit in momento abreptum, nec sine metu seculari mali majoris. Alia vice, cum cælum esset prorsus serenum, improviso nubes contraxit, & secuto mox pluviarum initio populum circumstantem exterruit: sed utroque in casu, postquam R. Paulus

Paulus preces ad Deum , & B. Virginem fudit, ac auditores ad persistendum animavit, mox redijt quies, atque serenitas, nec erta tempestas est alia , quam summè frugifera in conscientijs peccatorum necedum expiatorum.

C A P U T VIII.

Nova Missiones P. Pauli in Diœcesi Fejulana, ac Pistoriensi.

Flnijs P. Paulus missionem Aretij 20. Iunij anno 1707. & inde discedens, post modicam inter pias meditationes in sacro Alvernij monte respirationem, in Diœcesin Fesulanam migravit, ac in ea Apostolico zelo varia loca excolare coepit, Stiam, Stradam, Romenam, Montem Mignaium, & plura similia oppida, seu castella, non minore animarum messe , & fructu , quam fuerit ex campis suprà memoratis relatvs : & præsertim Stiaz quidam pater reconciliatus est illi, qui primum ante quindecim dies filium ejus occiderat. His autem perfunditus laboribus sub medium Julij adiit eremum Camalduensem, sacra paulisper quicunque vires reparaturus : inde vero longioribus inducijs spiritum magis restauraturus Florentiam redijt, ad domum tertiaz probationis Societatis : ex qua denuo 12. Augusti progressus est.

Petijt

Petijt autem tunc modicum pagum, qui
Abbatia S. Gaudentij dicitur: inde Pazanum,
Raddam, aliisque parva Dioecesis Fesulanæ
loca accessit, donec mense Octobri ipsam
urbem Fesulanam adierit, quo, ut quidam
prescripsit, venit instar Joannis Baptistæ *Ad
dandam scientiam salutis plebi ejus in remis-
sionem peccatorum eorum. Luc. i. v. 77.* Ho-
norarunt missionem Fesulæ habitam suæ
præsentia, non tantum Religiosi S. Domi-
nici, & S. Francisci, ea in urbe domicilia
habentes, atque plures ex alijs quoque sa-
cris Ordinibus in vicinia degentes: sed eti-
am duo Illusterrimi Domini, Panciaticus
Fesulanus Episcopus, & Frofinus Pisanus
Archiepiscopus, qui ex accidenti tunc ibi
degebat.

Et quidem prior, ut tanquam optimus
pastor ovibus suis exemplo bono præiret,
non tantum assidue sacris functionibus ade-
rat, sed comitabatur etiam poenitentium
supplicationes, spineatn coronam in capite
gestans, & nudis pedibus per longas, &
asperas vias incedens: quo habitu deinde eti-
am concionibus omnibus, ordinariè lachry-
mis infusus, interfuit, et si venti Boreales
caput detectum, ac totum corpus acriter
infestarent: quin etiam à Dominis suis Ca-
nonicis, offensarum, ac errorum, veniam
publicè petijt: idque eo die, quo benedi-
ctio Papalis dabatur, denuo fecit, simulque
dotem promisit tribus puellis, quæ usque
ad

ad festum Virginis Purificatæ nunquam cum amasijs ullis egissent.

Nam, præsertim in his missionibus, egiē P. Paulus omni fervore, ut ea juvenum, ac puellarum, conventicula periculosisissima eliminarentur: & retulit ejus zelus fructum optatum; quippe puellæ sapissimè, maximè sub ultima concione Pontificiæ benedictioni præmissa, altum clamârunt: Maledicti amores: atque exinde multæ procis insidiantibus restiterunt animosissimè; & hinc cùm quidam ex Seraphico Ordine Religiosus, suos pœnitentes, juvenes mares, ac sc̄eminas, in confessione interrogâsse, an non amore illico se inquinâssent, ordinariè reposuerunt (ut testatus est ipsemet) Deus avertat: nolui mihi attrahere maledictionem, qua tempore missionis execrabar tales amores.

Cùm autem P. Paulus ad animos in beneceptis firmandos soleret suadere, ut sequentibus duodecim dominicis, post peractam confessionem, sacra synaxi contra omnes dæmonum insidias se obarmarent, simulque hac devotione duodecim B. Virginis privilegia, ab ipso priùs explicata, venerarentur, RR. PP. Franciscani, ut hujus devotionis praxin redderent faciliorem, constituerunt, illas dominicas solennius agere, exponendo, aut detegendo, piam ejusdem divinæ Matris imaginem, quæ in eorum Ecclesia colitur, simulque habita aliquā

qua exhortatione, privilegium aliquod cælorum Reginæ deprædicando : ad quam celeritatem Illustrissimus Episcopus pro sua liberalitate necessarios cereos submisit, illamque adeuntibus indulgentias 40 diem concessit ; quare tantus populi fuit affluxus , ut missio continuata posset videri , & currentes nec à longè caperet templum . Erat etiam illis dominicis per amœnum spectaculum intueri virgines, candido lino modestè vestitas, simul templum modò dictum adire, ordine pulchro, & prælato labaro quodam B. Virginis, quod ipsius in missionis supplicationibus solebat præferri.

Labores Fesulis finitos excepere mox alij: nempe P. Paulus est reversus Arezium, ad iteratam petitionem Illustrissimi illius Episcopi , ut altera vice sacerdotes Exercitijs sacris vacatueros dirigeret , qua de re jam capite 6. est actum. Postquam autem & his satisfactum , rursus idem Illustrissimus Antistes expetijt, ut exercitia eadem publicè traderentur toti civitati: quod etiam factum est ingenti cum fructu, adeò, ut P. Paulus cuidam, qui ipsi suadebat , ut ad quadragesimales conciones habendas incumberet, respondere potuerit, se eo anno plus fructus tulisse, quam per duas quadragesimas concionando facere posset. Et saepe plurimum præsticit vel solis privatis alloquijs, conscientias dubias extricando,

in

inscios instruendo, pusillanimes animando &c.

Redeunte denuo Paschate rursus P. Paulus charas suas missiones reassumere cœpit, atque earum initium fecit in quodam pago, intra Dioecesin Montis Politiani sito; quippe non subito ipsam urbem Episcopi sedem voluit adire: sed prius solum suum P. Ascanium Simium reeens advectum, exhibita missione rusticana docere, quid, & quo ordine, postea in civitate oporteat fieri. Attamen paulo post ipsam urbem, seu Montem Politianum intravit, ubi quidem ab Illustrissimo Episcopo Domino Lodigiero avidè expectabatur: at non ita à civium pluribus expetebatur; quippe multi istorum, invidiâ demonis circumventi, missionem nolebant institui: quidam etiam palam asseruerant, se eam non accessuros.

At manus Omnipotentis, ut quidam ait, immutavit corda eorum, ita, ut iij ipsi, qui prius eam aversabantur, postea ad eam promovendam præ aliis operam suam conferrent. Certè primæ concioni, quæ in loco quatuor milliaribus disto (ubi imago B. Virginis, de quercu dicta, multis miraculis claret) habita est, interfueré non tantum vicinæ parochiæ, sed omnes quoque tribus ex urbe, editis in via variis pœnitentiaz Christianæ exemplis, dum quidam ad sanguinem se flagellarunt,

alij

alii nudis pedibus, & coronati spinis, tam longam viam emensi sunt: quin ipse Episcopus nudipes, fune circa collum ligato, voluit functionibus sacris adesse. Ad generalem communionem 14 millia, ad benedictionem verò Papalem 16 millia hominum confluxisse notatum est. Scilicet mox omnium corda P. Paulus sibi tenero amore devinxit, ita, ut, cùm post quinquennium eum obijisse resculsissent, tanquam patrem communem sibi erectum defleverint, ac recensendo varios insignes ab ipso exercitos actus virtutum, tanquam sanctum deprædicaverint.

Mense Majo P. Paulus venit in certum locum Campi vocatum, & inde perrexit in ipsam civitatem Pratensem, ut ei Apostolicos suos labores impenderet, prout Serenissimus Hettruriæ Dux desideraverat. At vix fama de missione futura coepit per urbem discurrere; cùm simul varij rumores adversi de ea sunt sparsi, adeò, ut in multorum vultibus legere esset displicantiam ejus, & non desiderium: quod cùm animadvertisset quidam sacerdos, pro veteri amicitia P. Paulo insinuavit, bonum fore, si commendatitias literas pro se, ac missione, à Serenissimo Duce (quod facillimè poterat) impetraret. At ipse negavit, unquam similes literas se procuraturum: & addidit, sibi esse omnino persuasum, quod Christus plus faciat solus, quam associatus,

E

Nee

Nec eum opinio sua fecellit, adeò, ut postea Prato potuerit scribere, expeditiōnem hanc suam fuisse à Deo decretam, & ejus favore promotam; cùm ipse priùs non habuerit animum eam aggrediendi, nec etiam opportuna subsidia, sed potius multa impedimenta: verùm quotidie sibi contingere, ut, quo minus spei affulget, eo melior succedat eventus, atque ita manu palpetur, non à nobis, sed à Deo omnia fieri, cui semper humilibus precibus debeamus nos commendare. Inchoata est hæc missio 11. Maij, atque per decem dies duravit: & commotio, ac compunctione populi, tam vehementis fuit, ut neq; priùs, nec postea, sic aliquid simile visum: quin afferuit quidam spectatæ prudentiæ vir, neminem posse gloriarī, se tantam lachrymarum copiam ex Pratensis civibus elicuisse, quantam P. Paulus expresserit: sed & animorum motui par fructus respondit.

Quippe ad peragendam confessionem sinceram permoti sunt plures, qui pluribus annis eam respuerant, & ex ijs unus integris septendecim annis: qua in re utilissimam operam contulere sacerdotes, tum saeculares, tum religiosi, indefessè in sacro tribunali pœnitentibus aures præbendo: quos suo exemplo non parùm incitavit Illusterrimus Dominus Cortigianus Episcopus, qui non contentus, præsentiam suam exhibuisse cunctis functionibus sacris, etiam publi-

publicè confessiones quorumvis indiscriminatim exceptit. Insuper sunt distracti nocturni, vel occulti conventus non castè amantium: & præcipue puellis ingeneratus ingens horror, atque aversio ab omnibus ejusmodi lubrico congressu, adeò, ut aliquæ accepta à procis donaria animosè remitterent: alia amasij adventantibus fenestrarum in ipsorum conspectu occluderent: alia etiam Crucifixum monstrarent, in quem amores omnes transtulerint: quin etiam juvenes, dum sui obliti licentiis in eo generare agere vellent, ingestâ missionis memoriâ mox desistebant.

Extinctæ sunt etiam gravissimæ inimicitæ, quæ integras familias inter se collerant, & quas nec Commissarij, nec ipsi Episcopi, unquam priùs tollere poterant. Ulterius plures personæ utriusque sexus post missionem auditam omnino mundo valdixerunt: quibus autem hoc ratione suæ conditionis non licebat, saltem in melius vitam mutârunt. Et mortuus est postea nonnemo ex quadam familia principe, morte omnium judicio sancta, de quo confessarius ejus fuit testatus, eum, post frequentatas P. Pauli missiones, cœpisse longè ferventius, quam priùs fecerat, devotioni vacare: idemque adjunxit, se etiam ex diversis alijs locis audire similia.

Quin Adm. Reverendus Pater Bernardus de Parma Ordinis Capucinorum, & ante-



hac Provincialis, cùm à R. P. Hannibale Marchetti, Collegij Florentini Rectore (qui occasione itineris Pratum pervenerat) ibi in suo cœnobio inviseretur, sua sponte, ac improvisò, in P. Pauli laudes prorupit, asserens, ejus missiones ab omnibus Religiosis, ad se venientibus, supra cœlos attolli. Imò ipsæ Moniales, quæ P. Paulum nuncquam audiverant, tamen ex aliorum relatione de ejus dictis valde commotæ, magna renovati fervoris signa, & exemplà dedecabant. Insuper Religiosi complures concurrebant ad ejus missiones, horis licet incommodis, etiam nocturnis: quibus ne excluderentur peregrini, & exteri, urbis portæ manebant apertæ, usque ad secundam horam noctis Italicam, quæ mense Majo, qui tunc agebatur, ferè respondet mediæ decimæ Germanicæ, seu Astronomicæ. Equidem hac de causa orcus infremuit, & quadam nocte, dum P. Paulus Crucifixo in altum elato adstantibus benedicere vellet, conatus est multis energumenæ præsentis clamoribus, stridoribus, ejulatibus, cuncta turbare: at nihil profecit.

De die autem fiebant sacræ functiones in foro civitatis amplissimo, ubi impensis Collegij Societatis extensem erat ingentis magnitudinis velum, è quadraginta perticis erectis in alto suspensum, ad defendendos à sole, & pluvijs auditores. Aderant functionibus omnibus convictores Collegij,

Cico-

Cicognini dicti, & Patrum Societatis curæ concretiti, qui, ut Sanctissimum Sacramentum majori decore, tum afferretur ad pegma, tum reportaretur in templum, ardentibus cereis illud comitabantur. Hi, etsi magnum in virtute profectum, & optima piè vivendi proposita, in missione hac fecerint, majorem tamen fructum postea haußerunt, quando privatim à P. Paulo per otium durante hyeme fuerunt instructi. Ad ultimam concionem, & Pontificiam benedictionem, non pauciora, quam 24 hominum milia concurrisse dicuntur, ex quibus mane terdecies mille SS. Eucharistia sunt pasti.

Durante hac missione P. Paulus aliquando sub noctem acriter in eos invehebatur, qui pœnitentiam procrastinando se coniiciunt in magnum æternæ damnationis periculum, dum nemo vel horam à morte securam sibi promittere potest: cùm in loco, non multùm distante à pegmate, quidam improvisò est mortuus: qui casus auditores vehementer exterruit, adeò, ut adhuc ea nocte plures Collegium Societatis adierint conscientiam expiaturi: nec sciebant iam satis laudare eas sacras exercitationes, quas priùs aversabantur: sicque patuit, veritati consonum omnino fuisse, quod Illustrissimus D. Panciaticus Fesulanus Episcopus ad Illustrissimum Antistitem Pistoriensem (in cuius Diœcesi Pratum urbs sita est)

paulo antè perscriperat, nempe, et si prima fronte quibusdam non approbentur omnia, in P. Segneri missionibus usitata, certum tamen esse, quod benedictio Dei omnibus adsit; cum ex omnibus tanti fructus soleant colligi. Discessit P. Paulus Prato in Montem Summanum, quo ad primam missionem ibi institutam, ultra duas confraternitates Pratenenses, alijs circiter mille ex ea urbe progressi sunt, simulque donaria quædam B. Virginis ibi propitiæ obtulerunt.

C A P U T IX.

Aliæ Missiones in Civitate, & Ter- ritorio Pescinnensi, & Corto- nenzi &c.

Pratio P. Paulus vigesimâ Maij discessit, & quin sibi indulgeret ullam quietem, mox ad B. Virginem de Monte Summano, hoc est, Ecclesiam, prope hunc montem illius honoribus ædificatam, & octodecim milliaribus Prato distantem, contendit. Colitur ibi imago Deiparæ, miraculis clara, & toti Hetruriæ celebris, quam traditur ipsamet cælorum Regina monstrasse pauperi puellæ, cui gregem pascenti apparere dignata est. Hic statim eodem adhuc vespere novæ missioni initium dedit, ingenti cum fructu, ut alijs locis; quippe nemo

nemo non extraordinaria contriti animi signa, palam in oculos incurrentia, dedit, adeò, ut vel ſenes, acalij infirmi, ſeſtiterrint nudatis pedibus, & pœnitentium habitu induti. Affluxus quoque populi fuit copiosifimus, quamvis effusæ de cælo ruerent pluviæ: adſtabantque etiamnum maddidi mox concionibus: quin ad ignes eum in finem excitatos fefeſſiccarent, aſſerentes, magis ſibi opus eſſe miſſione, quām ſicca veſte.

Multitudo autem conſiteri volentium fuit tanta, ut ad duo Patrum Missionario-rum tribunalia ſacra conſtituere oportuerit milites, qui nimiam inhiberent ſe truden-tium compressionem. Et memorabilis præfertim tune fuit cujusdam obſtinati converſio, qui jam decem annos confeſſionem omiferat, firmo proposito facto non con-ſitendi, donec, aut ſuum inimicum necaſſet, aut faltem inſignem vindictam de eo ſumpſiſſet: quando verò eum lacinabat conſcientia propria, pefſimum ei expro-brans ſtatum, pertinacior redditus ſole-bat ſibi ipſi reponere: Aliquis Dominus per totam æternitatem habendus eſt: Deus, an Diabolus ſit, nihil intereſt. Hic tamen homo adeò perversus, durante prima pœni-tentium ſupplicatione, fuit ita commotus, ut ea finita ſinceram de odio tam diuturno, ac alijs ſuis peccatis exhomologeſin, effusus in lachrymas fecerit, & confeſſarius pru-

dens eum animare debuerit, ne desperaret, ob gravitatem scelerum suorum vivacissime agnitam.

Vigesimo octavo Maij missio instituta est Buggiani (uti 13. Junij in Monte Carlinno) & ibi fuit necesse, duplicates militum adhibere custodias, ad cohendam undantis populi impressionem. Contigit tunc advehi quendam, ex magno comitatu, & copioso servitio estimatum principem, ex modo agendi autem fortè hereticum. Eum milites ad portam vigiles comiter monuerunt, ut non intra, sed extra muros, iter suum prosequeretur; cum alias sacras functiones stridoribus curru multum turbarerat: at ipse iratus recta pergere voluit: & cum milites sese opponerent, efferratus arrepto minore sclopeto è curru profilijs: cum furori milites cedendum rati, viam, per quam vehi voluerat, aperuerunt. Ac ipse contentus, suam potestatem monstrasse, mutantato animo extra muros ad hospitium vicinum divertit.

Ibi hospitem interrogavit, quid rerum eo loci tunc ageretur: cumque hic respondisset, sacram ibi missionem haberi, istam derisit, addens, sua in patria stultias tales non committi: & cur istic blateronibus crederent? Postea vero sub noctem advena iste, sua curiositate illectus, spectare voluit poenitentium supplicationem: at, dum ea durante audiit vibratas à P. Paulo intimum cor

cor acerrimè penetrantes hinc inde sententias, fuit animo vehementissimè motus, non minùs, quam alij quicunque præsentes, & multis perfusis lachrymis ad hospitium rediit: quid ulterius circa eum contingit, rescitum non est: juvat tamen credere, eum quoque cum alijs emendatum fuisse, & agnitus malum animæ statum in meliorem commutavisse.

Verùm, et si de hujus conversione perfecta non constet, constat tamen de aliorum complurium sincera emendatione, missiones has per territorium Pescinnense institutas secura: nam, sicut fuit aviditas ingens audiendi verbi divini, adeò, ut in castello S. Quirini matres, cum infantibus in sinu gestatis, aëcurrerent: ità etiam fructus fuit insignis; quippe plures fuere personæ, quæ publicè, & modo peculiari, se pœnitentes professæ sunt: plures libri obscoenii flammis absumpti, & in easdem conjectæ chartæ, ac aleæ: quin hospes Soranus, allatis omnibus ex suo hospitio chartis, adjunxit, se deinceps non permisurum, ut sua in domo chartis ludatur: quem in finem petiit imaginem B. Virginis, quam in sua taberna affigeret, ac volentibus lude re tanquam signum chartarum interdictarum monstraret.

Aboliti etiam minùs honesti amores, & eorum occasiones sublatæ: fuitque quædam puella, quæ pectori Crucifixum ap-

E s pen-

pendit, quem cùm ejus procus vidisset, ac, quid sibi vellet, interrogasset, illa reposuit, se Crucifixum foris, sed magis intus portare in corde: dùmque alter inferret, sic non amplius inter ipsam, ac se, fore pacem, & amicitiam, puella animosè respondit: Talis amicitia inter me, & te, aut quemcunque alium, nunquam amplius erit, sed semper bellum: & his dictis ei dorsum obvertit. Tres aliæ puellæ, ut ab hujusmodi temptationibus essent securiores, non obstantibus omnibus parentum, ac consanguineorum machinationibus, Christo sponso virgineo in monasteriis se consecrârunt.

Post Diœcesin iustratam P. Paulus ipsam urbem Pescenninum ingressus est: sed pluviae copiosissimæ videbantur restringuere ardores, ac flamas, aliis in missionibus effervescente solitas. Ea de causa Missionarius multum afflictus, & anxius, tandem cœpit consilium, quod charitas in Deum, & proximum, ipsi suggestit, ac eventusprobavit. Mane quodam nudis pedibus, & funem circa collum, spineam verò coronam in capite gestans, Crucem erectam per urbem portavit, ac simul Litanias cantavit: quod spectaculum non contemnendum hominum numerum ad ipsum sequendum attraxit, quos ille in Cathedram Ecclesiam duxit, eosque ibi tenerimo affectu est allocutus, dicendo, tam contraria-

riæ tempestatis originem sibi quidem haud cognitam esse : fortè tamen causam ejus esse sua peccata : fortè autem etiam peccata ipsorum , quæ in templo garriendo solent patrari.

Addidit alia plura , quæ dæmon , in energumena præsens , turbare conatus est , cùm modò instar galli cantaret , modò instar canis latraret , modò instar felis clamaret : attamen zelus P. Pauli victoriam retulit , & ex tunc missio fructus dignos produxit. Inter alia complures ex primariis urbis personis inductæ sunt , ut in se susciperent curam pauperum infirmorum in hospitali , & Domini quidem virorum , Dominæ autem mulierum. Inde petente Reverendissimo Domino Præposito , ac ejus Vicario , P. Paulus Massam se contulit , ut Virgines Salesianas suavissimo spiritu suo (qualem Divus quoque Salesius semper præferebat) imbueret , atque perfectionis amorem , & curam , in eis promoveret : quid autem boni ibi præstiterit , alibi erit locus dicendi.

Labores in territorio Pescinnensi P. Paulum occupaverunt usque ad initium Julij anni 1708. tunc verò Pratum reversus est , atque exinde Florentiam rediit , intellecturus , quid operis deinceps Superiores ei imponerent , vel quo placitum Serenissimi Ducis eum vocaret. Evidem Serenissimus inclinabat in iter Lunigianense,

sc: at quia milites Imperatoris ibi stationem etiamnum habebant, non videbatur tractus ille opportunus Apostolicæ expeditioni. Accessit ægritudo P. Ascanij Simij, qua durante ipsi, utpote socio suo, P. Paulus admirabili charitate inserviit: & hac de causa usque ad festum Assumptionis Deiparæ in campum prodire non potuit. Tum verò in Vallem dictam Nebulosam, & inde in Dioceſin Cortonensem, atque ipsam civitatem Cortonam perrexit; ubi denuo tali zelo, ac contentione, in illorum civium salutem incubuit, ut Dominus Antonius Casinus, munimenta Cortonensis Gubernator, prescriperit, viribus humanis superiores fuisse illos labores, sanguinis, ac sudoris profusiones, adversorumque tolerantiam, quas in Operario illo prorsus infatigabili tunc temporis ipse conspexerit: & operæ par fructus respondit.

Prima hebdomade mensis Septembris Cortonæ cœpta est missio, sed non sine quorundam timore, qui metuebant, ne non, quod alibi contigit, etiam carmina quædam satyrica in eam componerentur: at metus erat inanis; quippe cives optimè gnari, quanto animorum motu P. Paulus egerit Poggiani, & Piazzani, locis suæ urbi vicinis, existimârunt, non decere, minore honore, ac reverentiâ, ad se venientem excipere; unde accedenti omnem hono-

honorem, ac docilitatem exhibuerunt, ac magno numero concionibus, aliisque pijs exhortationibus adstiterunt: certè ad communionem generalem in Cathedrali Ecclesie accessere sedecim millia: & ad benedictionem Papalem Perugiâ, Monte Politano, Aretio, ac aliis locis, accurrere quām plurimi, ita, ut ibi præsentes crediti sint triginta millia exuperare. Ardor autem, atque devotio omnium extitit ingens, tum in concionibus avidè audiendis, tum in gemitibus, ac lachrymis copiosè fundendis, tam in subeundis pœnitentiæ operibus etiam arduis, quām in pessum dandis chartis, ac aleis, in condonandis offensis, & præsertim in peragendis confessionibus, ob quarum multitudinem etiam extra Ecclesiæ in publicis compitis debuerunt de novo sacra tribunalia erigi.

Præ aliis memoranda quatuor meretricum pœnitentia venit, quæ suo modo S. Margaritam Cortonam sunt imitatæ: fuitque illa verè sincera, ac stabilis; quippe una earum postea solebat in templis horas integras immobilis perseverare, & in silento delicta sua deflere. Altera se domi quasi inclusit, ex ea non prodiens, nisi summo mane ad Ecclesiam aliquam, è qua nemini cognita mox rediit ad voluntarium carcerem, ad quem se damnaverat, ut sic expiatet priores illicitas conversationes. Tertia majores adhuc in spiritu, ac pietate fecit,

fecit progressus. Contigit etiam, sive in hac, sive in alia missione tunc temporis habita, conversio similis fœminæ, & quidem judicio prudentum non sinè miraculo, quæ tamen certis de causis hic apertius describi non potest: dixisse sufficiat, P. Paulum ob eam magno gaudio, ac solatio, fuisse affectum.

Cortonâ ad civitatem S. Sepulchri migratum est, & 7. Septembris eò pervenatum: decem per dies ibi est laboratum, ut ardore, ità & fructu, aliis locis consimili. Dein mense Octobri Anghiarium fuic exultum: postea verò P. Segneri se recepit Arezium, ac tandem omnino Florentiam, ubi paulo ultra mensem moratus rursus Pratum repetiit, ut huic urbi Natalitiis festis Exercitia publicè daret, quorum præter alias copiosos fructus etiam hic fuit insignis, quod ipso admittente ereta sit domus (Conservatorium vocant) recipiendis, & sustentandis puellis, de pudicitia periclitantibus, destinata: quæ sicut non sinè multo labore, ac solicitudine gravi, fuit perfecta, ità magnum quoque gaudium attulit ejus auctori.

Perstigit hic per hyemem dicta in urbe, & constitutus confessarius Collegii Ciconiini plurimùm eam juventutem ad omnem virtutem promovit. Sub finem Martii anno 1709. reversus Florentiam est; inde verò Pisas contendit, à Serenissimo Duce

Duce vocatus, ut illi quoque civitati sub Quadragesimæ finem Exercitia publicè explicaret in nobilium Equitum S. Stephani templo: ad quas pias commentationes, atque parenneses Serenissimus ipse venire, & sic aliis pietatis principalis exemplo prætere dignatus est. Interea P. Pauli opera expetebatur à regionibus variis, etiam longè remotis: invitabatur à Cremonensibus, Mediolanensibus, Genuensibus, Lucensisbus, Corsicanis: at nolebat is ex se quidquam, de instituendo huc, vel illuc itinere, determinare, sed in omnibus ductum sanctæ obedientiæ sequi, quæ ipsum affixerat Serenissimi Ducis dominiis.

Postquam tamen hic intellexit aliarum regionum desideria pia, Missionario tam celebrato fruendi, ei significavit, quod, et si percuperet, ut subditos suos operarius tam utilis jugiter coleret; quia tamen variæ aliæ nationes ejus ad se adventum ardenter efflagitarent, nolit frustrari vota tam fervida: & ideo liberrimam facultatem ei relinquat, pergendi, quo Deus ipsum vocare, & labor ejus magis proficuus futurus videretur. Hac accepta licentia annuerunt etiam Superiores, ut extra Hetruriam zelus P. Pauli excurreret, quod anno 1709. est factum. Evidem post Pascha solito more in arenam progressus adhuc ditiones quasdam Serenissimi Ducis lustravit: at postea Genuensium, ac Parmensi-

mensium fines ingressus est. Præservatus autem hoc tempore fuit à periculis varijs, etiam mortis, præsertim aliquando à collabente subitò muro, qui ipsum, & insequentem in supplicatione populum multum, debuisset opprimere, nisi eos benigna providentia Dei subtraxisset discrimini.

Itaque hoc anno adhuc excoluit plures Hetruriæ civitates, aut oppida: & primò quidem petijt reverenter benedictionem à Sarzanensi Episcopo Illustrissimo Domino Nasello: tum verò adiit Saravezzam, inde Capriliolam, Bagnonem, Pontremolium, Tivizzanum, Solieram, Casolam, Lodi-pontum, Gravagnanam, Valdenam, atque alia loca. Postea verò Territorium Genuenense intravit, & in eo Vezzatum, Hortumnovum, Sarzanam, & Lericam, Apostolicorum suorum laborum participes fecit. Tandem ultrà progressus Munimentum S. Mariæ, Montem Rubrum, Masolum excoluit, præter alia loca, Serenissime Duci Parmensi subiecta.

Et fuere hæ missiones prioribus, si non præferendæ, saltem æquales, ità, ut de ijs P. Paulus ipse met scripserit, eas fuisse decies numerosiores, quam fuerint anno elapso, & earum fructum fuisse valde sensibilem: extirpatam multis inolitam consuetudinem blasphemandi, ità, ut intra plures jam menses nulla sit audita blasphemia. Insuper plures animæ piz, Sarzanenses,

ac

Missiones Pescinnenses, & Cortonenses. 81

ac aliæ , quæ P. Pauli directioni se commiserunt, ad extraordinariam virtutis perfectionem ab ipso promotæ sunt, & postea literis ultro, citrōque datis, in ea firmatæ. Sarzanæ præterea, non sînè magno suo solatio, comitem , ac in futuris missionibus socium , accepit Dominum Jacobum Lomellinum , de cuius omnigena virtute, ac sanctitate, meritò capite sequenti plura memorabuntur ; cùm h̄ic illius in Christo filius verissimè sapiens patrem laetificet, atque glorificet.

Accidit etiam in quodam loco, ut rogatus à Parocho auditoribus, commendaret cœptam cujusdam Ecclesiæ fabricam, à qua perficienda subsidiorum defectu coacti erant desistere : at cùm verbis parùm se effecisse animadvertisset, exemplo eos constituit trahere. Igitur indicta supplicatione comitantibus plurimis adjit locum, ubi erat accumulata magna moles saxorum : & ibi ipse, licet lassus à concione, & magis à via , per tractus montosos confecta, lapidibus pluribus vix non ultra vires se oneravit, ut eos ad novæ fabricæ locum portaret : & ecce ad ejus exemplum omnes præsentes faxa sibi imposuerunt eodem ferranda : qua ratione fabricaturis de materia fuit proviūm.

—०—

F

CAPUT

Digitized by Google

C A P U T X.

Brevis Narratio de Vita, & Virtutibus Domini Jacobi Lomellini, Clerici Secularis, & P. Pauli in Missionibus Socii.

Dictum est capite antecedente, inter alias personas, à pietate per celebres, quæ Sarzanæ à P. Paulo ad altum perfectionis gradum promotæ fuerunt, fuisse etiam Dominum Jacobum Lomellinum, de cuius eximia virtus meritò pluribus hinc est agendum; cum hic sapientissimus filius, à P. Paulo in Christo genitus, magna sit gloria sui parentis, & ab hoc in sua ad amicum epistola vocetur præstantissimum donum, quod sibi Deus contulerit. Contra verò Dominus Jacobus P. Paulum tenuerrimè semper amavit, non tantum ut suum in Christo Magistrum, sed etiam (ut eum vocabat) tanquam suum patrem spiritualem, & temporalem: & hinc illo defuncto ad P. Oliverium scripsit, sibi jam patrem, & matrem, & quidquid in mundo habuisset, ea morte fuisse creptum.

Fuit autem Dominus Jacobus anno 1678. in Hispania natus, ubi tunc morantur ejus parentes, alias ex nobilissimis, & antiquissimis Genuensium familiis oriundi, nempe pater Dominus Franciscus Lomel-

Lomellinus, & mater Domina Josepha Squarciafico, quæ post hunc unicum mundo editum filium mortua est; Dominus autem Franciscus ad secundas nuptias transit, easque celebravit cum Domina Maria Pellina Spinola, sorore Eminentissimi Nicolai Spinolæ Cardinalis, & ipsa vidua, relicta à Domino Dominico Mario Marchione di Pargona. Dominus parens ex Hispania Genuam rediit unà cum filio, quem anno 15. ætatis ad Romanum Seminarium misit, ut ibi inter alios nobiles convictores literis, & bonis moribus, imbueretur. Admotus est mox Philosophiae descendæ, & egregium in ea fecit profectum, atque ob hunc, & multo magis ob amabilem morum ingenuitatem, atque decentiam, omnium amorem, ac estimationem sibi conciliavit.

Post aliquot annos Genuam reveritus maximam de se spem Serenissimæ Reipublicæ fecit, fore ipsum aliquando patræ magno honori, ac utilitati. Accidit autem anno 1709. ut, cùm ejus ex noverca frater Dominus Felix Marius Gubernator esset Sarzanæ, ipse Dominus quandam cognatam eò comitaretur: cùm verò redditum jam cogitaret, mari tempestuoso coactus est eum differre: interea autem P. Paulus missioni Sarzanensi initium dedit, cui etiam Dominus Jacobus felici sua sorte interfuit; nam, qui priùs piè jam vixerat, ex-

inde cœpit vitam piissimam agere. Initio apud P. Paulum confessionem ab omni vita depositus, sēque ejus directioni plenē subjecit, firmo facto proposito nunquam ducendi uxorem : & sanè, reversus postea Genuam, rejecit pluries nuptias sibi obligatas, splendidissimas, atque ditissimas.

Cūm dein interfuisset Exercitiis sacris, à P. Paulo Sarzanæ expositis, concepta priùs animi sui decreta in ijs ad maturitatem perduxit: sacris Ordinibus initiari se fecit, ac deinceps illi, dum varias terras Apostolico zelo excoleret, constanter adhæsit: & quidem primæ, quibus interfuit, sacræ expeditiones institutæ fuerunt anno 1710. in urbe, ac Dioceesi Lucensi. Jam tunc eminebant in ipso virtutes quam plurimæ, paupertas, obedientia, cum divina voluntate conformitas &c. Dum autem dictum in finem P. Paulum accessit, ad ejus pedes provolutus, in primis nobilem vestitum depositus, cum horologio rotato, ac fictitiis crinibus, quibus eousque uti solebat: sicque apertè omni mundo renunciavit. Induit autem vestem non solùm modestam, sed pauperem, & ad P. Pauli exemplum, etiam pedibus nudis, & baculum oblongum manibus gestans, incessit, afferens, togam suam oppido rūdem longè à se præferri Hollandicis pannis, quos à se olim adhibitos meminisse non posset sine dolore.

Præci-

Præcipue autem spectabilis erat profundissima ipsius humilitas, quæ ex ejus omnibus verbis, ac factis elucebat. Notebat, se (ut apud Italos mos est) Abbatem vocari; cum titulus tam honorificus sibi, ut ajebat, non quadraret, qui tantum esset miserabilis presbyter, semifatuus, ac tam imprudens, ut vix aptus esset ad feles regendas. Alias dicebat, se Ælopi graculum esse, qui alienis plumis gloriaretur: alias pauperem mendicato viventem, non tantum de die in diem, sed de hora in horam: alias quendam rogabat, ut secum ageret quasi cum bruto animali, subministrando modicum panem, & simul incutiendo flagellum, aut baculum, ut sic saltem ad bonum incitaretur: quin immo ajebat, maximum toto in orbe peccatorem se esse, et si constaret, etiam ex ipiusmet aliquando dictis, eum innocentiam baptismalem conservasse usque ad mortem.

Hinc nunquam sibi attribuit felicem ullius rei successum, aut animæ cujusdam conversionem: verum maxillæ asini se comparabat; ut enim ista, Samsonis manu vibrata, Philistæos plurimos stravit, ita, ajebat, se à P. Paulo adhuc vivente directum, & à mortuo de cælis adjutum, aliquando instrumentum fuisse, per quod Deus aliquos meliores effecerit, & hac ratione apertius manifestaverit omnipotentiam suam, quæ per hominem nullius momenti

menti etiam operari grandia possit. Cum Exercitia S. Ignatii Monialibus ex Ordine Capucinorum in Civitate Castellana exposuisset, sub ultimam meditationem genuflexus, quasi quidam publicanus, ab iis omnibus veniam humillime petiit, cum errorum à se admissorum, tum rudissimæ explicationis, ac tandem etiam peccatorum suorum, quibus, ut ajebat, fuerit impedimento, ne ipsæ ex sacris illis meditationibus, majorem profectum haurirent.

Ex hac animi demissione oriebatur exactissima obedientia illa, quam in primis P. Paulo, dum viveret, & post ejus mortem P. Joanni Crivello exhibuit, quamque ille non dubitavit equiparare obedientiæ cuiuslibet religiosi tyronis, etiam ferventissimi. Sanè fuisse heroicam, vel inde constat, quod, cum paulo post, quam Dominus Jacobus missionibus se consecraverat, contigisset, Missionarium alterum, subito morbo correptum, concionari non posse, & P. Paulus ipsum Dominum Lomellinum improvisè jussisset, ad populum dicere, hic quidem principiō eo mandato valde sit consternatus: at resumpto mox animo promptè obediverit, ac etiam imparatus concionem habuerit, facundiā tantā, ac fructu, ut non tantum alios auditores, sed ipsum quoque, qui jussserat, in admirationem rapuerit: qui exinde ordinariē ipso ad sermones habendos est usus.

Insuper

Insuper castigatio corporis, qua Dominus Lomellinus carnem suam maceravit, fuit omnino dura, ac rigida: nudis pedibus multa, & aspera conficiebat itinera: copiosum sanguinem incussis fibi flagellis exprimebat, maximè in poenitentium supplicationibus: vietū præparco, & fame longa, stomachum excruciatbat: somno incommodo fatigata jam membra denuo affligebat: laboribus, sudoribus, ardoribus, se ipsum exhaudiebat. His omnibus accessere aliæ cruces, partim internæ, partim externæ, adeò, ut quidam Religiosus, cui magna cum humilitate, ac fiduciâ, eas exposuit, ut ejus consilio, ac directione posset juvari, affereret, nescire se, quid magis miretur, num acerbitatem illarum afflictionum, an verò patientiam illius invictam. Interim ipse ea, quæ patiebatur, extenuabat, suæque adscribebat indignitati, aut infirmitati, quod Deus non plures ipsi cruces imponeret.

Magna veneratione prosequebatur statum religiosum; & hinc à quibusdam Mondialibus, dum post exposita Exercitia sacra, & data documenta spiritualia, ipsis valediceret, verbis prorsus humillimis veniam errorum à se admissorum rogavit; inde humum ter osculatus, eam terram sanctam, ac benedictam vocavit, quam sponsæ Christi calcarent, & quam osculari ipse dignus non esset, non sine illarum

larum Virginum vehementi rubore , ac admiratione.

Patres Societatis JESU , eorumque institutum , & estimabat summopere , & amabat tenerimè : ad quod ex gratitudine se teneri credebat : sanè in quadam sua epistola 2. Decembris anno 1710. conscripta sit , se Societati ita esse obstrictum , ut , quoad vixerit , semper ex sua obligatione futurus sit ejus humillimus , quanquam inutilissimus servus . Nec dubium , quin eam religionem fuisse amplexus , si P. Paulus ipso aditum ad tyrocinium procurare voluisse , aut si non ipse ex animi demissione persuasus fuisse , se esse ea sorte indignum . Etsi autem Societatem opere ipsa ingressus non sit , affectu tamen intimo ei se junxit , ejusque Apostolicam vitam in missionibus fuit professus : quam etsi duram , ac pauperem , præferebat longissimè omnibus mundi deliciis : & sepe dicebat , se suum viatorium baculum , quo P. Paulum comitabatur , longè pluris estimare , quam Rex quilibet estimet suum sceptrum regale : nec se suam sortem commutaturum cum ullo orbis Monarcha .

Plures , atque insignes animarum ad Deum conversiones , Dominus Jacobus effecit , non tantum concionibus suis (quas aliquando una die quaternas , & singulas per integrum horam , singulari vi , ac energiè habebat) sed etiam , & multo magis privatim

vatis alloquijs, & confessionibus excipiendis; quippe praeditus erat suavitate, omnium animos efficacissime ad se trahente, & dono quodam superno inducendi ad sinceram peccatorum detestationem, ac cordis compunctionem, paenitentes etiam illos, qui animo protervo ipsius sacrum tribunal accesserant: quam gratiam fatabatur, se recepisse à Matre Gratiarum Deipara Virgine, cui eximia devotione erat addictus, & cujus favoribus gratus attribuebat, quod ad statum sacerdotalem promotus posset cooperari ad proximorum salutem.

Quippe, dum ferverent initia vitae sue melioris, ante thavmaturgam quandam Deiparentis imaginem supplex, ardentibus à Sanctissima Virgine precibus petiit, ut sibi exoraret gratiam, pertrahendi aliquam animam ad ejus Filij divini amorem; eoque timeret, ne pravo suo exemplo quandam induxisset ad offendendum eundem: & exauditus fuit à benignissima Matre, ut ipse dicebat, cum benignitatis excessu; cùm impetraverit ipsi, ut comitari potuerit P. Paulum in Apostolicis expeditionibus, & his durantibus ad populum dicere, ac confessiones audire (quod prius non credidisset esse possibile) & sic plures animas Deo lucrari.

Præ alijs tamen in Domino Jacobo eminentiabilitas quedam promovendi animas,

præsertim religiosas, ad perfectionem: id quod rescitum est ex varijs monasterijs, etiam celebribus, ubi Exercitia spiritualia tradidit, & Monialium confessiones audivit, summa cum omnium satisfactione; quippe, ut fuit inde perscriptum, loquendo de Dei amore non poterat se contine-re, quin exteriùs ederet signa flagrantissi-mæ intus charitatis, quibus frigidissima e-tiam corda accenderentur: & quædam Religiose, post peractam apud ipsum generalem exhomologesin, asseruerunt, nunquam aliis tanto solatio se delibutas fuisse: & aliqua à dæmone vehementer tentata, et si iphi alijs occupato loqui non posset, solo ejus aspectu à temptationibus est liberata. Pendebant omnes singulari solatio ab ejus ore, & sanctis altoquijs, et si ista integras horas durarent: quin ipsius etiam prandij obliscebantur. Insuper ita ejus sermoni-bus capiebantur, ut omnia, quæcunque suaderet, quantumvis difficultia, exequi es-sent paratæ.

Finita missione, quam PP. Crivellus, & Lana, instituerant in Civitate Castellana, Illastrissimus Dominus Euftachius urbis Epi-scopus ab ijs petijt, ut Dominum Lomelli-num, qui post Patris Segneri mortem eos tunc sequebatur, ibi relinquerent, ad ex-colenda quædam monasteria Virginum: & statim hi Patres assensere petitioni Antisti-tis, durante illa missione de se optimè me-riti,

riti, eoque lubentius, quo magis ipse Dominus Jacobus, catharro quodam oppressus, aliquali à missionum laboribus vacatione, atque quiete, opus habebat: attamen ipsi injunxerunt, ne sacrum tribunal ad confessiones audiendas adiret; quippe in eo alias solebat hærere per quinquo, aut etiam sex continuas horas, non sine detimento sanitatis perquam notabili: & acceptavit hoc ipse mandatum, licet zelo suo oppidò grave, atque obedienter implevit.

Non tamen ideo pertinaci catharro liberatus est optimus Dominus, etsi insuper R. P. Julius Vecchius ibidem Rector Collegij, in quo hospes hic gratissimus erat, sollicita charitate ejus curam haberet; unde, etsi Monialium illarum perficiendo spiritui plurimūm ipse prodesset, sibi tamen eo sacro labore non modicum nocuit, adeò, ut tandem vocem vix non omnino dperderet, gravēmque raucedinem, & nunquam desitaram contraheret. Confugit quidem in ea necessitate ad duleissimam suam Patronam, Matrem divinam, rogans, ut se hoc malo eximeret: at addita protestatione, se minimè velle vocis restitutionem, si hæc impedimento vel minimo foret ad consequendam perfectionem: imò potius cupere, ut modica quoque, quæ superesset, adimeretur: & reipsa impetravit à Beatisima Virgine vocem solummodo tantam, quæ

quæ à Monialibus, in locum minimè amplum collectis, percipi posset.

Absolutâ autem ea Monialium culturâ, apud quas sui tanquam Sancti reliquit memoriam, Patres Missionarios denuo est insecurus, ad quos ubi pervenit, viribus exhaustus, & voce ferme omni privatus, jussus est redire in patriam, & repetere Genuam, sive Sarzanam, ubi melior sanitatis ejus cura posset haberi. Quare Sarzanam reversus est, ubi tamen, crescente semper virium debilitate, tandem lecto se committere fuit coactus: qua occasione patientiaz prorsus heroicæ, & integerrimæ in divinam voluntatem resignationis, exempla complura, & insignia dedit, auditus saepè de missionibus voce, qua poterat, loqui, itemque de P. Paulo, quem saepissimè in ore, & quasi semper videri poterat, habere in corde.

Mortem, quam anno ætatis 37. æræ vero Christianæ 1715. 17. Aprilis piffissimè obiit, literis ad R. P. Horatium Oliverium 19. Aprilis anni ejusdem datis, descriptis Dominus Joannes Thomas Centurionus, non tam primaria inter Genuenses nobilitate, quam Apostolica Lomellini imitatione insignis; nam & ipse superatis mille obstaculis, & relictis splendidissimæ familiaz cunctis illecebribus, comitem se Missionarijs junxit. Hic enim, cum audisset, Dominum Jacobum Sarzanæ decubere, mox bona cum veniam sui Domini parentis, licet etiam infirmi, eò

et properavit, & inde die dicta memoratas literas scripsit.

Scripsit autem, se tam felicem fuisse, ut spectator esse potuerit mortis justorum, quam Dominus Lomellinus obierit: die Lunæ Sarzanam se pervenisse, & tunc agrum adhuc commodè sibi loqui potuisse, eumque usque extremum ad halitum semper rationis compotem fuisse: die autem Mercurij horâ 15. Italica (Germanica quasi 10. matutina) ad cælum volâsse: priùs petijisse ab omnibus veniam erratorum: tum fratribus varia pia monita, & documenta dedisse: nocte autem præcedente gravi catharro ad agoniam redactum, postquam ab hac paululum respirasset, adstantibus dixisse: *O quām pulchra! quām dulcis ista nox fuit!* & sæpe repetijisse: *Quām chara, dulcis, felix, pulchra nox fuit ista!* alia vice vultu latissimo, & decussatis in crucis formam brachijs, protulisse hæc verba: *Paradisus est meus: non possum de hoc dubitare: Paradisus est meus, & quidem sine purgatorio prævio: sum contentissimus: Paradisus est meus.*

Addit Dominus Centurionus, & se, & alios credidisse, ipsum cœlesti quadam visione recreatum fuisse; cùm post aliquam moram petierit, ut Patri Segneri sella deferretur: visum deinde plura loqui, attamen intellectum non fuisse: lumina sæpe fixisse in cælo, quasi quidpiam ibi intuere-
tur, simulque in Beatissimæ Virginis velo.

quod

quod ejus oculis ab adstante prætendebatur
arctè strinxisse Crucifixi imaginem , nec
eam unquam dimisisse è manibus : & sic tan-
dem piissimè mortuum : cum statim factum
esse ad vultùs similitudinem modulum , seu
formam , ex qua dein formari posset ejus
imago : postea cadaver in aula expositum ,
à Sarzanensibus omnibus fuisse manuum ,
ac pedum osculis , honoratum , & sabbato
proximo esse sepeliendum. Hæc Dominus
Centurionus.

Tumulo autem illatus est, non, ut ipse pro sua humilitate petierat, tanquam pauperissimus è plebe humuncio, prælatâ tantum unica accensâ candelâ: sed, ut conveniebat ejus nobilissimo stemmati, & prorsus insigni virtuti, atque etiam aliorum erga ipsum pietati. Deportarunt cadaver ad sepulchrum duo Canonici Dominus Mascarus, & Dominus Riccius, itemque modò memoratus Dominus Centurionus, ac Dominus Turrianus, comitante toto Cathedrali Capitulo. Corpus (quod videri poterat potius esse hominis suaviter dormientis, ac subridentis, quam mortui) depositum est intra cassam ex nuce, & tumbam ex marmore, addito epitaphio nobili, ac perhonori-fico.

—ଶ୍ରୀ ଜୀବ (ଶ୍ରୀ—

CA-

C A P U T . XI.

Missiones P. Pauli in Diœcesi Lú- censi, & Florentia, Principe Hetru- riæ Urbe.

Sub finem hujus anni 1709. seu tempus sacri Adventūs, Eminentissimus Hora-
tius Philippus Spada S. R. E. Cardinalis,
ac Lucensis Episcopus, P. Paulum à P. Gene-
rali Societatis JESU expetijc, ut ea in urbe
publicè Exercitia traderet: quod & præsti-
tit in Ecclesia Collegiata S. Michaëlis, iis-
que finitis adhuc aliquamdiu persticte, &
confessionibus audiendis intentus, fructus
laborum suorum collegit. Post aliquod
tempus à memorato Eminentissimo adhibi-
tus est, ad excolenda complura, atque ce-
lebria ejusdem urbis monasteria Virginum:
quām fructuosè autem id egerit, alibi erit
locus dicendi. Hic retulisse sufficiat, quod
ipse P. Paulus, in approbandis rebus suis par-
cissimus, Romam perscripsit, nempe Emi-
nentissimo plenè satisfactum fuisse: & sanè
iste mox voluit, suam Diœcesin expeditio-
nibus sacrīs ab illo lustrari: id quod ver-
sequenti anno 1710. executioni manda-
tum est.

Est autem ea Diœcesis, non tantum vi-
sta, ac populosa, sed Missionarijs aliunde
valde incommoda; quippe magnam partem
verius

versus Apenninum alpibus, & montibus aspera, ac consita pluribus exiguis pagis, & villis, ab urbe longè distantibus, adeoque à Pastoris præsentia quoque remotis, & consequenter culturâ magis egentibus. Anno 1665. P. Paulus Segneri Senior, vocatus à tunc temporis Lucensi Antistite Eminentissimo Hieronymo Bonvisio, instituerat sacras in ea Diœcesi missiones ; unde meritò, quod patrui labore erat plantatum, sudore nepotis postea fuit rigandum : quod hic fecit abunde per sex ferè menses, scilicet ab ultima hebdomade mensis Aprilis usque ad medium Octobrem ; unde hoc anno locis admodùm paucis extra hanc Diœcœsin sese indulxit : at verò in ista omnino multa adivit.

Certè viginti tres missiones instituit, & singulas per octo, aut decem dies protractit. Ad earum quamlibet confluxere viginti quinque, triginta, aut etim quadraginta hominum millia. Concurrebant autem non tantum plebei, sed optimates quoque, & nobiles, viri, ac foeminae : & quidem ex his posterioribus plures, Patrem ad alia loca pergentem insequebantur, suæque pietatis exemplo alias populos incitabant ad devotionem : quin etiam postea Dominæ plures utebantur vestitu prorsus modesto, extramaterie minimè splendida, aut retiosa confecto : nec erubescabant, petori affixum publicè Crucifixum gestare.

Sed

Sed & nobiles viri solebant, suum tempus transigere visitandis hospitalibus, atque ægrotis, aut in templis orando. Plebs quoque neglectis hospitijs, omissis lusibus, & profanis amoribus, ad aliquam sacram B. Virginis, aut Sancti alterius ædem, supplicationes pias ducebat; nec jam, ut prius, audiebantur blasphemiae, sed undique cantiones devote, & Numinis laudes resonabant.

Non omittendum hinc testimonium gravissimum Eminentissimi Cardinalis, atque Episcopi Horatij Spadæ, qui dum visitaret Diœcesin suam Lucensem, ex occasione pluribus missionibus adfuit: quin insigni exemplo, funem e collo pendulum, & spineam coronam in capite gestans, in poenitentiam supplicatione, aut Crucifixum prætulit, aut particulam S. Crucis circumtulit. Hic itaque oculatus, & omni fide dignissimus testis, in relatione quadam à se submissa, affirmat, non posse satis exprimi fructus, in missionibus illis collectos, & homines jam provectæ ætatis existimare, nunquam alias viam esse commotionem ita universalem in urbe, ac Diœcesi: accurrisse non tantum parochias prius invitatas, quæ solebant esse numero quindecim, sed longè plures, aliquando omnino sexaginta, prælatis labaris suis, & assumptis penitentium vestibus, atdeò, ut quandoque, nec sylvae, nee prata sufficerent, ad excipiendos numerosissimos advenas.

G

Addit,

Addit, tenerrimos excitatos fuisse affectus in audientium cordibus, dum undique per colles, & valles, resonarent voces populorum, laudantium Deum, & ejus Sanctissimam Matrem: maximum quoque fuisse pœnitentium numerum, incussis sibi flagellis, portatis grandibus crucibus, aliisque supplicijs in se sœvientium: imò etiam visos, qui per spatiū milliaris, & amplius, genibus flexis reptabant ad locum missionis, defluentibus per omnium ora ubertim lachrymis: præ alijs autem numerosum fuisse concursum in octava festi Pentecostes ad pagum S. Quirini, ab urbe Luca non nisi uno milliari distantem, quo non tantum cives Luccenses excurrerint, sed etiam primariæ nobilitatis viri, ac fœminæ ferè omnes, pœnitentium habitum, & alia compuncti animi signa præferentes.

Ait insuper, adfuisse etiam sacerdotes complures, Canonicos Regulares, Olivetanos, Patres Ordinis S. Francisci de observantia, Reformatos, Capucinos: nocturnis supplicationibus interfuisse supra ducentos sacerdotes, pœnitentiam ipso vestitu professos: & similiter vestitas supra centum nobiles Dominas, cum plurimis mulieribus aliis: creditum esse, ad benedictionem Papalem convenisse 40 millia hominum: non multò minorem fuisse ad alias missiones accursum: quod autem valde mirandum, nullam unquam tantis in populis ortam

ortam esse confusionem, aut perturbationem, sed omnia summa quiete, ac ordinatissimè acta: contigisse quidem aliquando, ut bos efferatus in medium supplicationem irrueret: neminem tamen læsisse: imò, cùm Crucifixum sacerdotibus prælatum propè attingeret, converso subito impetu erupisse in aliud latus, absque damno ulli illato, atque propterea in gratiarum actionem anathema esse appensum ad altare Crucifixi in Divi Petri basilica.

Testatur Eminentissimus idem, se, dum Diœcesim lustraret, audivisse ex parochis, extinctas esse mutuas inimicitias, etiam inter Pastores, & oves: abusum ludendi, ac alios similes, ex eo tempore fuisse sublatos, & extirpata adhuc alia mala: contra in usum inducta fuisse bona complura, maximè frequentem usum sacramentorum: & in monte Brancolio ortam tunc piissimam hanc consuetudinem, ut Bacchanalium tempore puellæ induant lugubres vestes, & loco chorearum, ac aliarum similium periculofarum recreationum, adeant templa, & vacent devotioni: quin ipsos Parochos redditos esse diligentiores, atque ad oviularum suarum profectum magis attentos.

Ulterius asserit, in ipsa urbe magnam morum in melius mutationem factam fuisse: intermissam consuetudinem illam, qua sub vesperum juvenes nobiles cum domicillis moenia obambulare consueverant:

quasdam primarias Dominas omni deposito
vano ornatu , vestiri panno nigro , & formâ
cumprimis modestâ: multos juvenes , priùs
vanis conversationibus deditos , nunc ex-
ercitiis pietatis , & hospitalibus invisendis
se dedere: alios omnino sæculo valedixi-
se: alios quidem adhuc in isto persistere,
at optimo exemplo civibus esse. Laudat
autem maximè P. Pauli indefessum ardo-
rem , scribens , ipsum toto illo tempore
(nempe , ut dictum , sex ferè mensibus)
sinè ulla intermissione laborasse in sua
Dioecesi , ita , ut post datam Pontificiam
benedictionem mox iter ad alium locum ,
quandoque sex , quandoque septem , aut
pluribus milliaribus dissitum , nudis pedi-
bus fuerit ingressus , rebus missioni necessa-
rijs , jam priùs intra cistas inclusis , & om-
nibus alijs jam antè rite dispositis .

Ex Dioecesi Lucensi transiit Cantium ,
Castellinam , & ad alia loca , eodem ubique
zelo , atque ardore auditores accendens :
cùm autem venisset in urbem à Colle di-
ctam , ibi post acrem sui flagellationem
vehementi febre fuit correptus : at supplex
factus Matri Divinæ mane sequenti invenit
morbo se liberum , ut potuerit de ejusdem
B. Virginis laudibus ad populum dicere :
quamvis febre sub noctem reversa , debue-
rit postea alias functiones , & benedictio-
nen ultimam , Pontificis nomine dandam ,
socio suo relinquere . Fuit autem hoc lo-

eo efficacia ejus in concionando, & suavitas in agendo, omnibus admiratione; unde etiam singularis honor ei exhibitus est; namque monstratus est ipsi ex universalis consensu clavus sacer, qui ibi religiosè colitur, & alias non, nisi sacro Parasceves die, solet ostendi: quin Iilustrissimus loci Episcopus dictum clavum manibus ejus inseruit, ut propius eum intueri, & tenerius osculari licuerit.

Sic finijt expeditio sacra hoc anno 1710. suscepta, ex qua plures victoriae, & ingentia spolia fuere relata: adhæsit tamen ex tantis laboribus, item durissimis corporis afflictionibus, magnis aëris rigoribus, & paribus vietūs, ac somni inordinationibus, adhæsit, inquam, P. Paulo quedam molestissima scabies, aut impetigo, ob quam medicorum judicio mense Decembri Pratum, ubi aura mitior est, redire debuit: inde iterum sub Februarij finem reversus Florentiam Serenissimo Duci se stitit, ex eo intellecturus, quibus regionibus, anno tunc currente 1711. operam suam velit impendi, expetebatur quippe rursus ab Eminentissimo Horatio Spada, atque à Serenissima Genuensi Republica.

At Serenissimus Herruriæ Dux, audita celebriore semper Apostolici hujus operarij fama, petiit, ut alios etiam subditos suos, ad quos necdum P. Paulus accesserat, eo anno adiret; unde hic tempus partiri fuit

coactus, ita, ut vernum Hetruriæ, autun-
nale verò terris Reipublicæ Genuensis im-
penderet. Quare pro more in campum pro-
gressus Imprunetæ (qui locus vicinus Flo-
rentiæ est, & prodigiosa Deiparentis ima-
gine celebris) primam missionem instituit:
inde perrexit ad alia circumvicina loca, è
quibus facillimè rumor secundus, de popu-
lorum affluxu, & cordium compunctione,
in ipsam Metropolin ad Serenissimum Du-
cem pervenit, eumque permovit, ut jam
dudum secum deliberata tandem exequere-
tur, scilicet curaret, in ipsa regia sua mis-
sionem haberet; quare id etiam P. Paulo
indicari curavit.

Exhorruit ad hanc postulationem hu-
millimus Pater, utpote qui à civitatibus
splendidis abhorrebat summopere, sibi
videbatur, nec voce, nec spiritu, nec alijs
dotibus, tanto molimini paribus, prædictus
esse: & vix non protervum se fore credebat,
si in civitatem tam illustrem, tam numero-
sam, ac delicatam, tentaret functiones in-
ducere, strepitu multo clamoras, & exci-
tandis crassioribus animis natas. Crevit
hic ejus timor, ob varias obrectationes ma-
levolas, in vulgus sparsas, & adhuc amplius,
ob sinistra judicia hominum, mundi æsti-
matione prudentum, qui non tantum im-
probabant hanc expeditionem ut temerari-
am, sed etiam ut certissimè infelicem exi-
tum habituram dissuadebant.

Quia

Quia tamen altiori lumine collustratus agnovit, eas oppositiones, & obtrectationes, aliud non esse, quam conatus diaboli, cupientis ipsum avertens ab implenda voluntate divina, suosque metus ortum ducere ex quadam pusillanimitate, & inordinata solicitudine, non exponendi periculo propriam famam, acceptavit missiōnem oblatam: cūmque facile adverteret, totam simul Florentiam congregari non posse, decrevit duplici prælio infernum, ejusque socios aggredi. unāmque missiōnem instituere intra urbem, in foro à S. Cruce nominato, prope cœnobium RR. PP. Conventualium S. Francisci: alteram extra urbem, & portam dictam Farinam.

Successus fuit exoptatissimus, ad quem insignibus pietatis exemplis plurimum contribuerunt, tum ipse Serenissimus Dux, & consanguinei Principes, functionibus assidue præsentes, tum Illustrissimus Dominus Thomas Gerardeſca Archiepiscopus, qui non tantum paternis admonitionibus, sed continua insuper præsentia, gregem suum ad frequentandas sacras exercitaciones excivit: tum etiam plurimi Religiosi, qui insigni populi ædificatione adstiterunt functionibus illis: præcipue vero RR. PP. Conventuales contulerunt operam omnem, ut ordinatè omnia fierent. De fructibus vero inde collectis testatur abunde Dominus Joannes Baptista Cafoti, in libro, quem

edidit de imagine B. Virginis Impruneta propitia, quam Serenissimus duobus ante missionem inchoatam diebus jussicerat deferri Florentiam, & ad publicam venerationem exponi.

Eo in libro dictus Dominus scribit, 23. Maii, quæ dies sabbati erat, nudis pedibus, & peregrinantium habitu, Florentiam esse ingressos Missionarios duos è Societate JESU, & ad portam S. Galli exceptos fuisse ab Illustrissimo Archiepiscopo, cui adsticerint Dominus Ludovicus de Verrazano Subdecanus Cathedralis Capituli, ac tres alii Domini Canonici: obviam quoque processisse Confraternitatem Sacrorum Stigmatum S. Francisci, quæ etiam postea operam valde utilem per missionis decursum præstiterit: Patrem Paulum accepta è manibus Archiepiscopi Cruce pro more præcessisse, ac supplicationem duxisse ad Cathedram Ecclesiam, sequente Illustrissimo Antistite, & multitudine populi: ad portam autem templi stetisse Dominos Canonicos reliquos, præstolantes Patris adventum, eumque intrò comitatos fuisse.

Addit, intus in templo hymnum: *Pens Creator Spiritus*: fuisse cantatum, eoque finito P. Paulum concendiisse pegma nudum, ac rude, atque ex eo ardentissimis verbis propoluisse ordinem omnium sacramentorum functionum, quæ dein sequenti die, id est, ipso festo Pentecostes, sicut coepit,

ac per decem dies indefesso studio continua-
tæ: eluxisse tunc in Florentinis imaginem
penitentium Ninivitarum: omnes à ma-
ximo usque ad minimum fuisse vehementer
commotos, & accurrisse turmatim, non
tantum ad conciones audiendas, verùm
etiam ad exhibenda cordis contriti, & hu-
miliati publica signa: plurimū promo-
visse hos motus Serenissimi Ducis demissio-
nem, qui quasi depositis insignibus regijs
se demiserit, ad subditis danda omnium vir-
tutum Christianarum exempla, etiam in
poenitentium supplicationibus, quibus fre-
quentibus etiam ipse interesse voluerit, non
contentus calidioribus etiam horis adfuisse
concionibus, aliisque exercitationibus sa-
cris, in foro S. Crucis peragi solitis.

Scribit ulteriùs, Dominicā, seu festo
SS. Trinitatis, institutam fuisse in Cathedrali
Ecclesia communionem generalem, ad
quam agmine supplicabundo accesserint ma-
ximo numero tribus civitatis, & vicino-
rum pagorum: die Martis, seu 2. Junij, fi-
nitam fuisse missionem impetrata benedi-
ctione Papali, ad quam tantus fuerit homi-
num accursus, ut forū S. Crucis pro tanta
multitudine fuerit nimis angustum: duran-
te missione præter numerum maximum sa-
cerdotum, Florentiæ domicilium haben-
tium (qui totis diebus debebant in sacro
tribunali hærere) vocatum in auxilium esse
Clerum Imprunetensem, cui tunc concessa

G 5 facul-

facultas, omnia in urbe sacramenta administrandi. Subjungit dein dictus Dominus Casoti alteram missionem, à quinto usque ad 14^{um} Junij diem, extra mœnia habitam, quam ait, non fuisse minùs ferventem. Similia retulit nobilis quidam Florentinus magnæ experientiæ, & præstantis judicij vir, atque inter alia dixit, sciri quām optimæ, factas esse conversiones quasdam insignes, etiam illorum, de quibus nil sperabatur. Et una præsertim mutatio cujusdam in melius fuit perfecta, ad quam obtinendam operæ pretium fuisset, etiam plures adhibere missiones,

Aliud adhuc, & longè gravissimum, de fructu tunc collecto testimonium dignatus est dare ipse Serenissimus Dux, qui epistola gratiissimâ P. Generali Societatis JESU gratias egit, quòd P. Paulum sibi, ac subditis suis concesserit, quem ait, immensum fructum fecisse, atque omnes in stuporem dedisse, suo indefatigabili zelo, asperrimâ pœnitentiâ, singulari modestia, & suavissimo, simûlque prudentissimo modo, se in auditorum animos insinuandi: neminem meminisse similis missionis, in ea urbe habitæ, tanto, ac tam universali cum fructu; hinc agnoscere Societati se obligatum, neque hujus obligationis memoriam unquam, quoad vixerit, depositurum: semper etiam in se magis firmari eam existimationem, quam de Societate conceperit, tanquam de

de Ordine optimè merito de Ecclesia
Dei.

Perductis ad finem suis laboribus mox Florentiâ P. Paulus discessit ; tum , ne à multis in silentibus , & vicissim invisendis, distineretur ; tum , ne urgeretur ad varios libellos supplices Serenissimo porrigendos : unum tamen ei ante suum discessum porrexit , nomine Virginum Salesianarum Massæ in valle nebulosa , de quibus suprà cap. 9. est dictum ; hæ enim multùm affligebantur, quod hucusque non habuissent illas , ex alijs sui Ordinis monasterijs advectas fundatrices , quod tamen juxta earum Constitutiones necessarium erat , ut ab alijs , tanquam vera membra Instituti S. Salesij , agnoscerentur. Et , licet multo conamine saepius egissent , ut tales , vel ex Italia , vel ex Gallia , acquirerent , semper spe sua frustraræ sunt . Quare hanc earum afflictionem P. Paulus Serenissimo supplex exposuit : & hujus clementissimo favore , atque etiam impensis , quamvis primùm post mortem Apostolici viri , fundatrices Taurinensi de monasterio advectæ fuerunt. Adjuncta est ab ejusdem Serenissimi piissima liberalitate magna pecuniæ summa , fabricæ perficiendæ , & congruæ illarum Virginum sustentationi , opportunissima,

C A P U T X I I .

*Missiones in Territorio Genuenſi,
& Mutinenſi Ducatu.*

SUB medium Junij anno 1711. P. Paulus digressus Florentiam in regionem Caſtentinam ſe contulit, inque duobus ejus nominationibus locis missiones inſtituit, primam nempe 18. Junii Popii, quam mox altera Bibienæ excepit, ſolito fruſtu, quem multum auxerunt Exercitia ſpirituallia, varijs Monialibus data. Inde vit Dei ſe in eremum Camalduensem abſcondit, ac in ea ſolitudine, atque silentio, ſacris S. Ignatij commentationibus ſcipſum exer-uit, & novo ſacri belli apparatu inſtru-xit. Tum verò Florentiam rediſt, eo ani-mo, ut paulo post in Ducatum Mutinen-ſem moveret; cùm ecce accipit literas à Domino Alphonſo Ferri, quibus ei ſigni-ficatur, Sereniffimum Mutinæ Ducem per-cupere, ut in ſuis dominiis non jam nunc miſſio inchoaretur; cùm tempus hujuſ annī ei videatur nimis anguſtum; hinc ex-pectari P. Missionarium in annum ſequen-tem, quo toto deinceps Mutinenſium cultræ vacare.

Quare P. Paulus Tortonam, ubi etiam expe-ctabatur, iter intendit: cùmque haec occaſione Lucam tranſiret, ea in urbe non parum

parum solatii hausit, dum vidi pietatem, suis sudoribus ibi rigatam, adhuc florescere. Genuam appulsius, &, nescio, quo casu, impedita Tortonensi expeditione, loca maritima excolere cœpit, nempe Frioram, Baldalucum, Raggiam, Ameliam, Diazum, Arassum, & alia plura, sociam operam ipsi navantibus PP. Constantio, & Spinola, ac quatuor sacerdotalibus Clericis. Et quanquam tempestas turbida multos domi teneret, tamen numerata sunt auditorum quatuordecim millia, quorum plurimi nudis pedibus adesse conspecti sunt. Secuta est magna emendatio morum, & fama P. Pauli semper celebrior; namque eum omnes Sanctum vocabant, sequentes beatos existimabant, si ab ipso sacra benedictione impertiti fuissent, & magis, si qua re minima ab eo donati: quin sola promissione memorie sui, in sacris habenda, jam se felices credebant.

Non omisit Missionarius, in omnem proximorum bonum vigilantissimus, culturam Virginum Religiosarum, quibus eo majorem attulit utilitatem, quo aptiores erant eæ Christi Domini Sponsæ, ad recipiendos gratiæ cœlestis influxus, & perciendam efficaciam verborum illius suavissimam. Sic zelo semper ardente egit Operarius hic indefessus usque ad Novembris initium; tum verò est reversus Florentiam, ubi eum Serenissimus Dux singulare,

lari, non tantum clementia, sed & honore excepit: at simul petijt, ut Florentinis, per octavam S. Francisci Xaverii, Exercitia spiritualia in templo S. Laurentij publicè traderet, quod & factum cum omnium satisfactione, & fructu.

Pari, si non majore cum commendatione, eadem Exercitia rursus mense Februario anni sequentis 1712. in Seminario Fesulano exposuit, uti expetijt Illustrissimus Dominus Horatius Panciaticus urbis Episcopus, qui cum P. Paulo literarum commercium inire dignatus est, & distinctionem de illius actis relationem edere sicutum animo habuit: at optimum Praesulem anno 1715. mors magno suorum luctu terris eripuit, & sic nobis notitiam multorum rerum subtraxit.

Interim Serenissimus Raynaldus Esten-sis Dux Mutinensis, de fructibus maximis, à P. Paulo undique factis, certior tedi-tas ipsum anno priore jam invitaverat, ad lustranda etiam sua dominia: sed ob angustias temporis dilatus ejus adventus est ad hunc annum 1712. quo Serenissimus de-novo sua vota repetijt. Quare vir Apostolicus sub initium veris eò perrexit, spe bo-na plenns; cùm (-ut scripsit cuidam) ani-mus suus ipsi assereret, multum boni esse præstandum. Septem mensibus continua-tis missiones, unam post alteram, absque interposita ulla quiete instituit, quod in-credi-

credibile posset videri de homine, corpus neutiquam robustum, sed delicatum sortito.

Excoluit autem triginta circiter loca, inter quæ etiam fuere Statûs totius præcipua, civitates scilicet Mutinensis, Reginensis, & Carpensis: ubique autem ingenti cum fructu est laboratum, de quo habentur authentica testimonia plura, præcipue verò Illustrissimi Ludovici Masdoni Mutinensis Episcopi, qui in Pastorali Epistola ad suum gregem in primis Deo gratias maximas agit, ob beneficia grandia per missiones sibi, suisque collata: deinde paternè hortatur ad perseverandum in bene cœptis, per usum frequentem sanctissimorum sacramentorum, aliorūmque medium, à Patribus Missionariis propositorum.

Quod autem spectat ad missionem præcipuam Mutinæ habitam, ea (prout Dominus Bartholomæus Mascardus Sarzanensis Canonicus, & P. Pauli in missionibus socius, paucis prescripsit) sic fuit peracta. Missio hæc, quæ una ex ferventissimis fuit, secundâ Octobris est cœpta; hac enim die sub horam vigesimam secundam (seu circa quartam Germanicam) P. Paulus ad civitatem pervenit: antè verò in exigua domo, quæ ab urbe uno milliari distabat, paululum substitit: quod ubi rescitum est, tot è obviam ipsi iverunt, ut via eous.

que

que plena populo esset, cui se multi nobiles junxerant. Ad portam fuit exceptus à Confraternitate Sacrorum Stigmatum S, Francisci; eoquod Illustrissimus Urbis Antistes, dupli apoplexiā debilitatus, illuc se conferre nequiverit: præstolatus est tamen Missionarium cum Dominis Canonicis omnibus ad portam Cathedralis Ecclesiae, ibique Crucifixum ei pro more tradidit, non sinè teneris lachrymis, & verbis magno pietatis affectu prolati.

Huic cæmonia; ad ingenerandam devotionem aptissimæ, ipse quoque Dux Serenissimus adfuit, cum omnibus Serenissimis liberis, atque etiam Serenissima Duce Hannoveriana, tota insuper nobilitate, adeò, ut Ecclesia non caperet tantam hominum copiam, sed populus foris remanere deberet. Prima P. Pauli concio mox nacta est ingentem applausum, & ipsi omnium animos summè conciliavit, ita, ut sequentibus sacris exercitationibus nemo non adesset. Tota Serenissima Domus, nobiles omnes, viri, ac foeminae, quotquot Mutinæ erant, sese stiterunt: & multi, ut locum aliquem nanciseretur, duabus horis venere, priusquam functiones consuetæ inchoarentur, etsi ob pluvias quasi quotidianas theatrum, in quo consistendum erat, satis humidum esset.

Cathedrale Capitulum optimo præluxit exemplo, dum semper adfuit, ut ajunt, in

in corpore, sive in unum collectum: quin etiam plures Judæi voluerunt accedere, atque etiam impetrarunt assistendi licentiam, eo tamen tempore excepto, quo SS. Sacramentum expositum erat. Ad ordinarias functiones confluabant circiter secundum, aut octodecim millia hominum, ex solis civitatis inquilinis: at vero, dum benedictio Papalis daretur, plenum erat amplissimum forum, quod creditur septuaginta millia hominum capere posse. Virginti, & una, meretrices fuere conversæ, quarum juvandarum curam in se suscepserunt multæ nobiles Dominae: & duo Domini Canonici collegere pro ipsis notabilem pecuniam summam; qua, uti & subsidij alijs adjutæ, aut honesto in matrimonio collocarentur, (ut mox tres colloca-tæ fuerunt) aut in domum conversarum admitterentur: aut aliter ipsis provide-retur.

Post missionem, omni vespere ad pulsum salutationis Angelicæ, in platea quadam nobiles convenire sunt soliti, ac dein Dei laudes cantando civitatem obire, atque ternas B. Virginis imagines, in urbe celebriores, venerabundi invisiere, sequente complurium civium turma: inde domum ad quietem concedere: nobiles autem matronæ solitæ sunt hospitalia, aut domum conversarum adire. Multi ex nobilibus statum religiosum amplexi sunt: alij autem

Missionarium (qui ab omnibus Sanctus est habitus) ulterius fuere fecuti , optimo exemplo ubique relictio .

Præter hanc relationem , à Domino Mascardo submissam , aliunde habetur , efficaciaz concionum , ac adhortationum , ecessisse tandem corda obstinatissima , ex quibus fœmina prius prorsus perversa , & instar Luciferi pervicax , in amarissimas lachrymas fuit soluta , & ad duram corporis castigationem permota : alius juvenis nobilis , vanitatibus præ aliis deditus , postea humillimus in veste lacera , nudis pedibus , & dura humo somnum capere solitus , ad alias missiones circumijt : quin etiam plures Hebræi , animi valde commoti signa dedere : & si non ad fidem Christianam , saltem ad suppeditandas multas pecunias , causis pijs impendendas , adducti sunt , quod in gente tam avara non parvum est estimandum . Sorte autem valde felici gavisus est opifex quidam , qui à loco vicino cum suis Mutinam venit , ibique suæ devotioni vacavit : redux autem in via apoplexiâ subitâ tactus , & ab opportunè adveniente sacerdote rite absolutus , caduca , meliorem suam patriam , adiit .

Silendum quoque non est datum à Serenissimo Duce insignis pietatis exemplum , qui non contentus functionibus sacris interfuisse , se insuper obtulit , ad demandandam publicè pœnitentiam suam aliquo opere ,

opere, quod P. Paulus congruum, & opportunum fore existimasset: at hujus prudentia non judicavit, Serenissimo simile quid proponendum. Ceterum Serenissimus hic Princeps tanquam exinde affectum erga hunc Apostalicum virum concepit, ut non solum ei liberalissime suos favores obulerit, sed etiam petierit, ut Rhegij, & Carpi, quae sunt urbes Ducatus Matinensis, missiones haberet: quorum deinceps ultimae ipse cum Serenissimi filiabus iterum interesse dignatus est: ubi magna solatij consoliosi materies cūfuit oblata, dum licuit spectare ingentem numerum (qui 50 milia sequare judicabatur) populi contritissimo corde adstantis, ac lachrymosis vocibus veniam, & misericordiam Dei implorantis.

Prater innomarum chartarum, & similium losibus malis servientium instrumentorum farraginem, in triginta sportis allata, combustae sunt plures obsecante imagines: quin etiam sedecim Lutherani reliquias erroribus ad orbisoma sacra transferuntur. Visabantur in omnibus meritis in melius mutatione gavifus summi opere Serenissimus Dux voluit, ut Matinæ Exercitia spiritualia P. Paulus exponeret, quod postea factum fructu optato, & presertim conversione cuiusdam personæ magnæ auctoritatis, que prius finistris contra Missionarium prefiguricijs male præoccupata,

postea extraordinariā confidentiā illi con-
juncta est.

Exinde Mutinā discedens, & regressu-
rus Florentiam, P. Paulus venit Bononiām,
ubi ab Eminentissimo Legato Casonio pe-
titum, & à P. Rectore Bononiensis Collegij
ei fuit injunctum, ut ea quoque in civitate
sacra Exercitia traderet, quibus populus
excitaretur ad Deum placandum, atque
orandum, ut pestem, quæ inter pecora
tunc grassabatur, cessare juberet. Sacris
his meditationibus interesse etiam voluit
Serenissimus Saxoniz Præses, modò Po-
loniæ Rex, qui tunc hospes ibi degebat:
sicut priùs Rhegij durante missionis conci-
one currum, in quo prætervehebatur,
jusserat sistere, ad socium P. Pauli audiendū.

Attigit postea sub Decembribus initium
urbem Florentiam, ubi cum expectavit
mandatum Generalis Societatis, quo jube-
batur Lucam redire, ad obsequia Eminentissimi Horati Spadæ Episcopi, qui denuo
expetebat, ut Exercitia urbi rursus publicè
traderet, prout jam priùs ibidem tradidie-
rat in S. Michaëlis basilica: quod etiam
factum pari quasi cum precedentibus mi-
sionibus fructu. Excoluit etiam ad ejus-
dem Eminentissimi petitionem monasteria
Virginum, id enīcē desiderantium.

Ut autem idem Eminentissimus postea
scripto testatus est, in quadam monasteri-
orum

orum illorum regularem disciplinam reduxit, & sustulit quosdam circa paupertatem, & cum externis loquendi frequentiam, iudeicos abusus: quia suavissimo suo modo agendi quasdam Moniales induxit, ut (quod prius omnino renuerant) recipereat postea, & quidem cum gaudio Constitutiones, ab Episcopo in meliorem formam redactas: ex quarum observatione, ut quedam ex Superioribus monasterij illius testata est, ingens posterum emolummentum spirituale perceptum est.

CAPUT XIII.

Missiones in Dioecesi, ac Urbe Fanensi.

DIvidi, seu potius multiplicari debuisset hoc ultimo anno vir Apostolicus, ut omnibus, à quibus desiderabatur, posset adesse; nam varijs è terris literæ ad eum datae fuerunt, quibus ad urbes, & oppida, aut integras Dioeceses evocabatur: certè expetitus est à Vicario Apostolico Auximensi, à civitate, ac Dioecesi Ugubensi, ab Episcopo Lauretano, ab Eminentiissimo Tanara Urbiniensi Legato, ab Eminentissime de Verne Episcopo Ferrarensi, ac alijs pluribus; neque enim omnium similium petitiorum memoria est conservata: si ipse, ut pote Religiosus, Constitutionum

suarum obseruatiissimus, universis eundem
in modum respondit, se sollicet esse in ma-
nibus Summi Pontificis, ac P. Generalis,
a quorum nutu dependeat, in qua domi-
nicae vineæ parte sibi sit laborandum.

Litem hanc tandem direxit Sanctissimus
Dominus Clemens XI. qui ipsum tres ci-
vitates, in ditione Pontificia fitas, nempe
Ferrariam, Anconam, & Fano, excolere
volut: quamvis simut licentiam dederit,
illis exultis alia quoque loca lustrandis
satis tamen aperte postea patuit, solum mis-
sionem Fanensem esse à Deo decretam;
namque primò Ferratia, ob suspicções de
peste viciniam infestante exortas, adiri non
potuit: itex verò Anconam mors P. Pauli
prævertit. Scripsérat quidem hic 17. Mar-
tij. 1713. Eminentissimo Ferrariensi Episco-
po, se primo loco ipsi inservitrum; cum
hæc sit mens Summi Pontificis: attamen
etiam ad P. Oliverium scripsit, se neutiquam
credere, missiōnem Ferratiensem respicere
futuram.

Interim tamen die Veneris Sancto, sed
Paracceves 14. Aprilis in viam se dedit, &
altera Paschatis die venit Stellatam, locum
haud equidem magnum, attamen populo-
sum ad ripam Eridani, & 15 milliaribus di-
stantem Ferrariam, ad cuius Diocesim etiam
pertinet; quippe statuerat, ibi suos labo-
res incipere, atque exinde usque Ferrariam
progredi. Ac, cùm clausi essent transitus
omnes

omnes, & abruptum commercium cum Mantuanis, & Mutinesibus, ob pestis timorem, meritò P. Paulus existimavit, non esse in his confinibus convocandos cum periculo populos, adeoque missionem intermitte-
dam: quod ipsum etiam sensit Cardinalis del Verme, qui ea de re ad P. Michaëlem Angelum Taraburinum Societatis IESU Ge-
neralem humanissimas literas dedit, quibus significavit, prohibitum esse cum vicinis commercium ob malignam contagionem, qua infestaret Germaniam, adeoque mis-
siones Ferrarenses hoc anno inchoari non posse: se tamen vehementer desiderare, ut anno sequenti, saltem per mensim immedia-
tè post Pascha, Missionarius petitus indu-
geretur.

Itaque impedita hac via terrestri P. Paulus aliam maritimam iniit, & navigavit Pisaurum: quo usi sati maturè pervenerit, tamen excitato subito turbine per quatuor cum dimidia horas navem ad litus appelle-
re nequije, non sine periculo aliquo, ut postmodum ipse asseruit. At difficultas hæc præludium fuit sequentium complurium ad-
versitatum, quæ, ut iterum ipse scripsit, plures paginas possent implere, addens,
mirum fuisse, quod non & ipse, & socij
eius, in mosbum inciderint: subiuxit au-
tem: se ex hoc ipso spem bonam concipere,
quod videat damonem tanta vi se oppo-
dere.

Fanum tandem delatus ab Illustrissimo Episcopo, tum necessarias facultates, ac litteras, tum sacram benedictionem accepit, ac altero mane Mondavium petijt, ubi inter alios fructus non parvum factum est lucrum egregij juvenis, ex primis illius oppidi familijs nati, qui ex eo tempore ad varias missiones circumijt, ac postea factus sacerdos, non tantum optimo exemplo populis fuit, sed magno quoque Missionarijs adjuvento. Hac missione finita mox Cartoceti instituta est altera, tertia verò Mandolfi: atque hinc via Fanum relecta.

Hac in urbe missio 21. Maij est inchoata. Quatuor ex praecipua nobilitate erant communi consensu electi, qui omnibus functionibus praesentes adessent, &c, ut ordine suo omnia peragegerent, invigilarent. Hi Patri advenienti ad medium milliare Italicum obviam prodierunt, cum publico nomine excepturi. Et quanto honore in suo ingressu fuit exceptus, tantum postmodum benevolentia fuit auditus. Ad sacras exercitationes à prima mox die intervenire Dominae omnes, sepe sita omni vestimenta pompa, quin imò velo faciem teat. Ut autem possent auditores prompti adesse functionibus pomeridianis, quæ hora 18. vi (seu quasi secundâ post meridiem) inchoabantur, communi consilio in omnibus dominibus prandij tempus est anticipatum.

Ultimâ Maij finita hac missio est, &c. 2.
Junij

Junij P. Franciscus Maria Camillus, Rector Fanensis Collegij, ad R. P. Assistantem Italiz litteras dedit, in quibus magnum fructum, & grandem urbis in melius mutationem factam esse significat, atque affirms, totam civitatem, omnem nobilitatem, ac plebem, Missionarij ardori, ac zelo correspondisse, datis insignibus animi contriti, ac poenitentie signis: magnum nobilium numerum publicè in templo Societatis se flagellasse: Dominas plures semper nudis pedibus in quatuor poenitentium supplicacionibus incessisse, & his durantibus, dum præsertim P. Paulus brevibus suis interlocutionibus omnium corda intimè feriret, fuisse tantas lachrymas, singultus, ac planctus, ut potius ulularent, quam gemerent.

Subdit, compositas esse multas discordias, aut extintas inimicitias, restitutions injutorum bonorum suis dominis factas: allatas ad pegma extrectum grandes duodecim sportas, chartis, librisque obscenis impletas, cum multis armis prohibitis: tempore sacrarum exercitationum officinas omnes fuisse occlusas, & ad Pontificiam benedictionem accurrisse ad duodecim millia hominum, qui omnes, cum P. Paulum sibi ultimum vale dicentem audirent, in effusissimos fletus proruperint: ipsum vero discedentem, omnium corda, & affectum secum tulisse.

Idem R. P. Camillus, clapsis duobus jam mensibus

mensibus à fine Missionis, ad Adm. Reverendum P. Generalem Tamburinum perscripsit, adhuc durare fervorem, à P. Paulo accentum: nobiles modò longè frequentius ad sacram confessionem, & communionem in Collegij templo accedere: Congregationes tam nobilium, quam artificum, longè copiosius frequentari. Imò Congregatio Nobilium omnino tunc erat clausa: at cum ipse hic R. P. Camillus hos Dominos adhortatus fuisset, ut eam rufus aperirent, hoc est, frequentare rursus inciperent, mox durante adhue pio illo, & sancto fervore, quod voluit, obtinuit, alias fors objecta obstantia minime superaturus.

Addit idem R. P. Rector suis in literis, populum ad functiones sacras, eodem in tempore fieri solitas, multò numerosiorem accurrere: in S. Ignatij solemnitate, et si festum fori non esset, tamen templum nobilibus, & plebeis impletum fuisse, quod alias factum non fuerit: Dominos Ecclesiasticos inter se convenisse, ut per duodecim dies Veneris supplicationem poenitentium, more in missis solito, instituerent: iamque coepisse, pedibus nudis, & capite spinis incincto, ac vestibus poenitentiam præferentes, septem Ecclesias in urbe adire, majorēmque eorum partem flagellis se usque ad sanguinem cedere, maximo Episcopi, ac urbis totius solatio, atque exemplo.

Ulterius scribit, quod ex laicis quoque multi

multi tanta tracti pietate eam supplicacionem subsequi soleant: insuper, quod, quando Societatis templum intraverint, excipiantur ab aliquo Patre, brevi allocutione prijs sensibus plena: nobiles quosdam, cum festo Divi Ignatij praesentes vidisseat PP. Crivellum, & Lanam, eos rogasse, ut redirent die Veneris proximo, dictosque sacerdotes, sermone aliquo ad eos habito, in bene coeptis firmarent, quod & factum, & ea die ad duo millia hominum supplicacionem comitata fuisse, quibus P. Lata revocaverit in memoriam bona proposita missionis tempore facta, corumque commendaverit observationem: tum verò sublato Crucifixo omnibus benedixisse, non sine magno omnium gaudio.

C A P U T XIV.

Præfensiones P. Pauli de imminente sua Morte, & pijissimus Obitus.

A Corbissima sanè mors P. Pauli, quæ hoc anno 1713. contigit, omnibus accidit, & eo fuit amarior, quomagis inexpectata, in flore ætatis ipsius. At adoranda sunt semper divina judicia, nec ad intellectus humani hebetem aciem examinanda; præsertim, cum, licet alijs, non tamen ipso mors improvisa advenere; si quidem

quidem saepius desideraverat, in medijs missiōnū laboribus vitam finire, & in publica coacōne Florentiæ hunc in finem imploraverat B. Virginis intercessionem. Ex argumentis etiam plurib[us] meritò inferri videtur, cum lumine quodam superno illustratum fuisse, quo suum obitum non longè abesse cognoverit.

Primò enim, dum P. Felix Lana ejus ultimus socius advenisset Florentiam, etimque P. Paulus ipso adhuc vespere mox salutatum adiisset, ipsum arctè complexus sic est affatus: Charissime P. Lana, lubens nunc morior; quia habeo, cui meas missiones relinquam: eas Reverentiaz vestræ consigno, atque commando, unāque me totum; quia Reverentia vestra debet mihi claudere oculos. Secundò. Dominus Lomellinus (de quo superiùs c. 10. actum est) epistolâ 9. Augusti anno 1713. ad P. Oliverium datâ testatur, P. Paulus ante tres annos enixè se commendasse precibus personarum quadrundam, Deo valde chararum, ut, si ad Dei gloriam foret, impetrarent sibi expeditiorem aurium usum (erat enim surdaster) responsu[m] autem accepisse, adhuc patientiam per tres annos habendam, & postea: ex hac autem post verbum postea abrupta responsione ipsum intelisse, se tribus annis exactis mortem obiturum: & hinc elapsa hyeme sibi (nempc Domino Lomellino) tam asseveranter, ac tam fréquenter

frequenter dixisse, modicum ipsi tempus restare, ut fastidium aliquod sibi creaverit, & hinc se ab ipso, ut hac de re deinceps taceret, expetuisse. Addit prædictus Dominus, P. Paulum hinc inde sibi aliquid suorum scriptorum tradidisse, ac si testamentum condere vellet.

Tertiò. Dominus Dominicus Riccius, & ipse P. Pauli in missionibus comes, affirmat, ipsum anno 1710. sub finem Maij, aut initium Junij, sibi dixisse, quod post tres annos sit moriturus: idque sapientius postea confirmasse: & anno 1711. sub finem majoris Hebdomadæ, Florentiae prefata amicè dexterâ, denuo asseruisse, quod ipse Dominus Riccius deberet sibi oculos claudere: cum autem ipse utpote senior ad ea verba risisset, & contendisset, opotere oppositum fieri, P. Paulum priora dicta repetuisse.

Quartò. Dominus Joannes Leonardus de Rubeis, & ipse sacerdos, ac in missionibus comes, refert, durantibus Diocesis Lucensis missionibus rusticum quendam, qui more aliorum P. Pauli prætereunte genua flexerat, pro sua simplicitate cum benedictum Patrem vocasse, ac amore Dei rogasse, ut non se ita pessumdet, sed aliqualem sibi quietem indulgeat: cui Pater subridens responderit, intra modicum tempus offa sua habitura quietem.

Quintò. Dominus Franciscus Mei Romanus

mam perscripsit, P. Paulum, antequam Fano discederet, saepius dixisse, se non quieturum, donec Senogalliam attigisset. Sextò. Cùm eadem in urbe, seu Fani, tunc degeneret R. P. Provincialis, Collegii illius visitatione distentus, P. Ambrosium Centurioni socium ejus P. Paulus impensè rogavit, ut, si suam mortem audiverit, citò missis per Provinciam schedis suffragia pro se indicaret.

Septimò. Hieronymus Maria Georgius, Frater Coadjutor Societatis, qui diu P. Paulo convixit in domo tertiae probationis Florentiæ (quo se ille per hyemem solebat recipere) atque ejus cubiculum officij causâ saepius adiit, hic, inquam, testatur, virum hunc Apostolicum, antequam ad ultimas anni 1713. missiones abiret, saepè sibi asseruisse, se tantum sentire tœdium vitæ longioris, ut credi non possit, atque rogasse, ut, si moriturus sit, unam sacram communionem ultra præscriptas pro se perageret: illo autem mane, quo discessit, sibi dixisse: *Non scio, an nos denuо sumus vifuri: oret Deum pro me: aliquot etiam dies anteabitum suum fecisse catalogum omnium rerum, ad missiones spectantium; quem prius non fecerat: addidisse autem, ideo se hoc fecisse, ut successor, si quem venire contigeret, exactè ordinata inveniret omnia: & subjunxisse: Quis sit, an non hic sit meus ultimus terminus?*

mas? Octavò. Dominus Joannes Paulus Montius Senogallia scripsit , P. Paulum eò loci non semel auditores rogasse, ut sibi impetrarent mortem finita hac missione.

Nond. Tandem P. Paulus ipsem 7. Junij anno 1713. hoc est, octo diebus ante obitum suum, ad Mutinensem aliquem nobilem scribens, petit, pro se fieri preces; coquod (ut ait pro sua humilitate) intra se aliquid sentiat, quod conscientiam videatur arguere alicujus displicantia, quam Deo creasset, & propter quam existimet, se avocandum ad reddendam de peccatis suis rationem: ac addit, similem imperiis sensum se hucusque non fuisse expertum.

Itaque Senogalliam appulsus vir Apostolicus, ad missionem, quam, ut dictum, præviderat, ultimam esse futuram, omnia solito maximo studio apparavit, insuper habito omni suo gravi incommodo; quippe magnis itineris difficultatibus erat attritus, & viribus valde exhaustus. Accessit ex eo mœstitia, quod non inveniretur forum, aut campus, magnæ multitudinis capax, ubi sacrae functiones in conspectu accurrentium plutium millium celebrarentur: & adhuc minus repertiretur locus, arboribus hinc inde distinctus, quibus afigerentur grandia vela, quæ à solis ardoribus adstantem plebem defenderent: cuius rei cura Patri vel maximè cordi esse solebat,

solebat, ut nempe, quantum posset, incommoda populi affluentis arceret.

Quare, cum hujus urbis culturæ dedisset initium, mox eum febris, dolor capitis, & inflammatio gutturis, simul invasit, ut adeò vigor spiritus inciperet corporis debilitati succumbere. Non tamen propterea omnino cessit, aut à solitis exercitationibus destitit, sed, ut in missionebus aliis, ita & in hac, est concionatus, quamvis voce rauca, atque tam debili, ut ultima vice vix à vicinioribus intelligeretur; flagello tamen ita in se seviret, ut populus adstans altù clamaverit, ne se ulterius tam dirè feriret.

Sabbato sequenti, etsi interea semper debilior redditio valetudo fuisset, tamen consuetam concionem, de devotione erga B. Virginem, neutiquam omittere voluit: sed eum sermonem, magno ardore, atque affectu eximio, qualem erga Matrem divinam in intimò pectore semper fovebat, è pegmate dixit: tum verò debilitas corporis, dolor capitis, & inflammatio gutturis, eosque crevit, ut lecto se committere fuerit coactus: in quo primò frigore febri fuit correptus, cui immodicus calor successit. Evidem initio Domini Medici credebant, esse febrem ephemeras: verum ex ejus pertinacia, ac comitante somnolentia, mox die lunæ apparuit, malum gravius esse; hinc phlebotomia tentata est, quæ

quæ quidem capitis obtusum, atque dolorem mitigasse est visa, sed ad tempus duntaxat brevissimum; quippe statim post prandium redit malum idem cum quodam lethargo, & capitis dolore gravissimo.

Tali in statu persistit usque ad diem Martis; ea autem die, presentibus omnibus, ut secedant, rogatis, solus cum P. Lana socio suo negotium animæ agere voluit, atque ultimam confessionem peregit. Præstulit tunc extraordinariam animæ tranquillitatem, & pacem: cumque P. Lana eum adhortaretur, ut penitus in Dei manus se consignaret, reposuit, si Deo placeat, plus mali, aut doloris, atque etiam mortem, sibi immittat: attamen se gratia tua corroboret. Rogavit ulterius eundem socium suum, ut sibi velo B. Virginis benedicere, atque coram articulo, quando opis alienæ maxime indigus esset, sibi benigna charitate assistere vellet.

Postea (ut Dominus Riccius, qui ei cum alijs diu, noctuque adliterat, scripsit) quamdiu adhuc sui compos permanit, aliud non fecit, quam sepiissime gratias agere B. Virginis ob favores sibi collatos, intuitu sermonis de ejus laudibus habiti. Inde conversus ad Deum hunc quoque maximas grates persolvit, ob doctores corporis sibi immissoe verbo: aliud ex ejus ore perceptum non est, quam laudes divinæ, & gratiarum actiones. Subin coepit mente exerrare: &

I

subito

subito ad P. Lanam conversus: Et quid agimus, ait, cum jam populus omnis advenierit? Eamus igitur ad inchoandas functiones: quæ verba, uti & alia, quæ durante mentis impotentia protulit, satis monstrarunt, quisnam in tota ejus vita fuerit scopus cogitationum, quod centrum affectuum; namque toto, quo sui fuit impos, tempore, non aliud fecit, quam prædicare, socios vocare, varia ad missionem spectantia imperare, recitare Psalmos, aut Ave Maria, vel Salve Regina &c.

Ut autem nihil omittatur, quod posset sperari, fore malo semper crescenti remedium, Anconam est evocatus Dominus Zanetti celebris Medicus, qui auditis prius Senogalliensibus, die Mercurij medicinas quasdam, quas ars sua ipsi dictabat, prescrivit: sed omnes fuere inutiles, & malum in horas ita est auctum, ut æger sensum visus, & auditus perdidet, adeoque à Medicis depositus fuerit habitus. Quare deficientibus humanis subudijs ardentijs implorata sunt divina auxilia: & in primis P. Pauli comites omnes, præter orationes complures, ante velurn B. Virginis in cubiculo expositum fusas, votum fecere ad sacram Domum Lauretanam nudis pedibus peregrinationem instituendi, si æger sanitati restitueretur. Illustrissimus quoque Dominus Franciscus Bentinus Episcopus Comachiensis, & mortuo tunc Senogallensi

Anti-

Antistite ibi Vicarius Apostolicus, jussit, in omnibus templis orationem pro infirmo inter Missæ sacrificia dici.

Quin in Cathedrali Ecclesia instituta est comprecatio quadraginta horarum, ad quam nudis pedibus accessere confraternites complures, ex quibus aliqui asperè se flagellârunt: imò etiam pueræ nudipedes, & spineis coronis capita ciuitatæ, fune insuper è collo pendente, pro restituenda Patris sanitatem celo supplices factæ sunt: certè omnis conditionis personæ, ipse etiam Magistratus, publicè pro salute ægroti, tam sibi preciosi, preces fuderunt. Tandem etiam ductæ sunt piaz, & quidem in pœnitentiaria habitu supplicationes, ad prodigiam B. Virginis iconem, milliaribus tribus distantem. Nec Senogalliz solum, sed Fanii quoque, postquam tristia nova de morte lethali P. Pauli illuc pervenerunt, pro hujus salute est supplicatum: sanè tam de die, quam de nocte, spectabiles ibi fuere supplicationes se flagellantium, & ad varia templo circumuenientium, pro impetranda sanitate optimi Patris.

Ex quibus sat patet, quā magna de hoc Apostolico viro existimationem, tum Fanenses, tum Senogallienſes habuerint: & hi præcipue eam palam fecerunt, adveniente R. P. Rectore Fanensis Collegij, ut infirmum inviseret; tum enim Senogallienſes in suspicionem adducti sunt, cum ca-

cadaver demortui secum vellea vehere: atque hinc tumultus exortus est, & officinis occulis civium turmæ accurrerunt ad curiam, qui magnis vocibus sunt protestati, se priùs daturos vitam, & sanguinem, quam permisuros, sibi corpus charissimi Patris auferri; unde Magistratus rem hanc ad Illustrissimum Vicarium Apostolicum detulit: hic autem sedandi populi causâ. tam nomine civitatis, quam Cleri, ad P. Lanam misit, ac petijt, ut, si Deo placaret, ægrotum ad se evocare, non permitteret, corpus aliò avehi.

Maximas in primis P. Lana gratias, egit ob tam honorificam de P. Paulo existimationem, quæ etiam in Societatem rediendareret: inde addidit, se lubentissimè desiderio communis satisfacturum, imò se priùs jam habuisse in animo, Illustrissimum Vicarium Apostolicum, & Reverendissimum Cathedrale Capitulum, in casu mortis rogare, ut cadaver defuncti interim in Ecclesia sua, tanquam depositum, recondi permetterent; namque donationem ejus stabilem facere, in sua potestate non esse. Sic aliqua quies urbi est redditæ: non tamen omnis sollicitudo exempta; unde diu, noctuque vigilaz circa domum, ubi æger jacebat, sunt à pluribus actæ: insuper ex voluntate Magistratæ semper aliqui nobiles in domus illius aula præsentes fuere: quin Magistratus præter missos varios nuncios, qui de statu morbi

morbi interrogarent, ipse, ut ajunt, in corpore, sive collectus, quavis die accessit, visurus, quise haberet ægrotus: quod idem fecere Illustrissimus Vicarius Apostolicus, & Reverendissimum Cathedrale Capitulum.

Verum, ut ad P. Paulum narratio redeat, hic sub vesperum diei Mercurij ad extrema redactus, & fui impos, cum sacram viaticum non posset recipere, extrema unctione munitus est. Noctem dein traxit semper ægrius respirando, & viribus deficiendo, usque mane diei Jovis: tum verò, quando jam morti proximus erat, vius est iterum usum rationis, ac sensuum recuperasse; cum enim P: Lana ei suggeraret pias quasdam, & illæ horæ congruas aspirationes, simûlque monstraret particulam sacri veli B. Virginis, ac animaret ad fiduciam in Matre divina locandam, moribundos aperuit oculos, eosque pijissimè in ea particula fixit: inde vultum placidissimum, ac subridentem præferens, Creatori suo animam reddidit.

Mortuus est anno 1713. 15. Junij, horæ Italica decimâ cum quadrante, Germanicâ verò sextâ matutinâ cum quadrante, die quinto, ex quo decumbere cœpit, & in quem tunc incidit solenne festum Theophoriar. Necdum annos quadraginta omnino impleverat (quippe deerant quatuor menses cum tribus diebus) septem autem illorum Apostoliçis missionibus, maximo zelo,

Io, ac fructu impenderat. Defuncti pedes primus Dominus Lomellinus (de quo suprà c. sc. plura relata sunt) reverenter dederit, ac venerabundus est osculatus, non sine tenero sensu devotionis. Scripsit hic postea ad quendam amicum, se aliud à Deo non desiderare, quam gratiam ipsum amandi, ac ei serviendi, prout ipsum amasset, et que serviisset P. Paulus optimus suus Magister.

Mentionem hinc sui meritò exigit P. Christophorus Segneri, & ipse è Societate JESU, frater P. Pauli Senioris, & alter demortui patruus, qui ex Collegio Anconitano, ubi tunc degebat, Senogalliam venerat, ut nepotis sui missione adesset. Hic in tam lugubri casu, mortis tam sibi funestæ, fuit semper intrepidus, ac omni carne, & sanguine, altior: atque etiam tunc cohibere lachrymas potuit, aliosque solari, qui ipsi ob tantam jacturam condolebant: ita scilicet animum suum ad omnem voluntatem divinam humillimè, ac devotissimè conformaverat optimus senex.

C A P U T X V.

Celebratz solennes Exequiæ, & alij Honores exhibiti P. Paulo defuncto.

Quæ de exequijs, achonoribus, P. Paulo mortuo habitis, modò dicenda sunt, ex varijs literis, Senogallia potis-

potissimum datis, accepta sunt. Vix rumor de viri Apostolici obitu per urbem percrebuit, cùm subito forum ànte Palatium ut vocant, Ducale, ubi mortuus erat, a currente populo fuit completum. Omnes volebant per domūs gradus ascendere, ut ex aspectu emortui amantissimi Patris solatium caperent, adeò, ut necessarium fuerit, januis milites custodes apponere: qui licet submoverent turbam plebejam, nobilium tamen pietas impedita non est, quo minus sursum ascendens, quidquid in cubiculo reperiebat, tanquam spolium sacrum, veneracionis, & memorizæ causâ, abriperet: nec poterat hoc impediri.

Unde nos tantum ejus vestis in frustula plurima fuit dissecta, sed & alia quæque, ejus usibus priùs servientia, à nobilibus fure direpta, Crucifixus, pileus, crepidæ, & quidquid in eorum venerat manus: quin etiam resecarunt capillos, ac ungues, &c, cùm priùs copiosum sanguinem emisisset è naribus, hunc bombyce, aut linteis collectum, instar venerabilium reliquiarum servarunt. Sed neque impediri potuit decreta à Magistratu exequiarum solennitas; nam quidem præsentes tres Patres Societas statuerant, cadaver in Ecclesiam Cathedram transferre sive funebri pompa, accessis duntaxat quatuor tenuibus facibus, juxta morem in prioribus similibus casibus usitatum: at mox nobiles quidam fortiter

se opposuerunt, dicendo, certos se esse, nullatenus à civitate id permittendum: cedere debere religiosam modestiam venerationi, & obligationi, quam tota urbs profiteretur erga defunctum, qui in ejus obsequijs vitam tam pretiosam posuisset.

Quare Patres adorarunt benignissimam providentiam Dei, volentis glorificare illum, qui majorem Dei gloriam in omni vita sua ardenter promovere studuerat: atque omnia Illustrissimi Magistratus arbitrio permiserunt. Itaque finita solenni per unum supplicatione, qua SS. Eucharistia, a rite Catholicis solito, est circumdata, eadem pompa, ac eodem comitatu omnium Ordinum, Confraternitatum, ac Magistrorum, secularis, & regularis Cleri, venit Reverendissimum Cathedrale Capitulum, ad transferendum in suam Ecclesiam defuncti cadaver: quod ipsis una cum instrumento iuridico, de eo concessa tanquam deposito, traditum est.

Tum vero hoc ordine funus deductum est. Primit ibant Confraternitates, & post has Ordines Religiosi, tam illae, quam isti, candelis accensis instructi: post hos indebat Clerus secularis, & Cathedrale Capitulum: sequebatur in tumba defuncti cadaver, quod quaterni à Societate portabant, nempe R. P. Rector Fanensis, P. Lana, P. Minister Monteradensis, ac hujus socius. Evidem Domini Canonici liben-

libentissime hoc onus subiissent: attamen Religiosis mortui socijs hoc solatium noluerunt præripere. Ad tumbae latera ibant Clerici seculares, P. Pauli in missionibus comites, nempe Domini Lomellinus, Centurionus, Riccius, Vallarius, ac Georgius, & ipsi candelis instructi.

Post tumbam incedebat Illustrissimus Magistratus, ac omnis Ordo Equestris, nigris in vestibus lugens. Feretrum circumdabant strictis gladiis milites plusquam trecenti, qui tamen vix sufficiebant, ad reprehendum undantis populi impetum; quare alij plures, ad capita platearum, & præsertim ad fores Cathedralis Ecclesie, fuere statuti, ad coercendam multitudinem plebis, ex vicinia etiam occurrentis, quæ ad decem millia hominum videbatur ascendere. Resonabat autem undique planctus universalis, & fundebantur copiosissimæ lachrymæ, ita, ut scripserit quidam, non futurum fuisse luctum majorem, si cujuslibet proprius pater fuisset emortuus.

Sic circumlatum funus per urbis plateas ad templum Cathedrale pervenit, ubi Matutinum Officii Defunctorum decanatum est totum: hoc autem finito corpus in lateralì facello repositum, ibique per reliquum diem permanit, semper tamen aliquo sacerdote linteato adstante, & militibus pluribus id custodientibus. Altero vero mane, id est, die Veneris, cadaver

in ampla, & sublimi tumba est positum, pluribus circum eam ardentibus cereis: cantato subin, varijs etiam musicis instrumentis adhibitis, primo Defunctorum nocturno, Missa solennis, ut vocant de Requiem, est celebrata à Domino Canonico Pœnitentiario, praesente Illustrissimo Magistratu, & Reverendissimo Capitulo, plurimisque utriusque sexus nobilibus, lugubri uestitu amictis, præter copiosissimum populum, quem Ecclesia vix capiebat.

Sacro ad finem perducto, dicta est à Domino Ludovico Siena, Oratorij S. Philippi presbytero, oratio funebris, ab authore sapientia multum laudata: atque adeo omnia honorificentissime acta sunt, ut Dominus Fagnanus Confalonerius merito ad unum ex Societate consanguineum suum prescripserit, securè ipsum credere posse, nemini etiam Episcoperum tam solennem exequiarum honorem habitum unquam fuisse. Cùm autem omnibus his absolutis è tumba deponeretur cadaver, scurrerunt innumeræ, omnis conditionis, sextis, & ætatis personæ, ut manus, aut pedes ejus deoscularentur, eviujus animam jam cœlo receptam non dubitabant. Ad moverunt ipsi quoque rosaria, post actum corporis ejus religiosius habenda: abscederunt particulas vestium, & vix potuit à sectionibus calibus servari corpus illæsum.

Difficil-

Difficillimè autem fuit obtentum, ut multitudo tandem templo excederet, ac spatiū daret corpus humandi: cui ceremoniæ ultimæ interesse etiam voluit Illusterrimus Vicarius Apostolicus, & aliqui Domini Canonici, veste in choro ipsis usitata induiti, præter multos Ordinis Equestris laicos Dominos. Cadaver, omnibus sacerdotalibus indumentis ornatum, fuit in lignea cassa repositum, cui superiùs affixa est plumbea lamina cum hac inscriptione.

D O M

*P. Paulus Segnerus Missionarius Apostolicus
Qui vix Septennio Sacrarum Missionum
Munere Senogallie Peracto
Obiit XIII Junij M DCCXIII
Ætatis XXXX
Cujus Funeris Acerbitatem
Recurrens eo anno, ac die
Solemnitas Corporis Christi
An minuerit, An auxerit,
Nescias.*

Tumbam cum inclusō cadavere comites P. Segneri detulerunt ad locum sepulchri, qui fuit is idem, quo sepeliri solent Episcopi. Quod autem priùs non fuerit balsamo corpus conditum, aut faciei figura gypso impressa, ad formandas postea ejus imagines, aut alia similia facta, causa fuit Senogallienum solicitude, ne sibi thesaurus hic æstimatissimus subtraheretur; unde

de omnis mora sepulturæ abrupta est. ita postea scripsit Dominus Julius Carolus Fagnanus Confalonerius, seu Consul Senogalliensis.

Non tamen cum corpore sepulta est etiam memoria Apostolici viri, sed vel maximè viva remansit apud quām plurimos. Illustrissimus Dominus Bentinus expetiit aliquid, ex reculis à P. Paulo relictis, ad conservandam semper ejus memoriam, &c, cùm ei offerretur capitis tegmen, quo in vespertinis pœnitentium supplicationibus ille uti consueverat, gratus accepit: simul tamen petiit, atque obtinuit authenticum de eo testimonium duorum defuncti sociorum. Pileolus ejus traditus est Domino Confalonero Urbis, qui in ejus gratiam curavit fieri elegantem è cappuccio capsulam, & huic illum reverenter inclusit. Alii, ut supra jam dictum, ex utensilibus ejus, quæcunque potuerunt, sibi vendicarunt.

Interim Senogalliensium cura primaria eo spectabat, ut corpus defuncti perpetuo jure ipsis addiceretur; unde tam Illustrissimus Magistratus, quām Illustrissimus Vicarius Apostolicus, ac Reverendissimum Cathedrale Capitulum, mox ea de causa per curforem extraordinarium Romanam miserunt supplices literas, ad Eminentissimum Cardinalem Pauluccium Secretarium Statūs, ut tam potenti patrocinio obtinerent

rent stabilem depositi sibi tam chari posses-
sionem: quam etiam impetraverunt à Ge-
nerali Societatis, qui urbis de defuncto
optimè meritæ piissimis votis non censuit
quidquam negandum.

Post prandium dictæ diei Veneris ite-
rum accurrerunt ad templum quām pluri-
mi, plebei, ac nobiles, ut denuo ex aspe-
ctu corporis sibi tam venerabilis, solatum
caperent: at dum intellexerunt, illud jam
esse terræ mandatum, amarissimè fieri
cœperunt, atque supra sepulchrum pro-
strati, mille osculis humum illam sunt
venerati. Retulit insuper P. Lana, quod,
cum eadem adhuc die domo exire debu-
erit ad Illusterrimum Dominum Vicarium
(partim, ut ei gratias summè debitæ
ageret, partim, ut negotia alia cum ipso
tractaret) et si studiosè per plateas minùs
frequentatas incesserit, ubique populum
multum habuerit obvium, flentium, ac
lamentantium, mortuum esse suum opti-
mum patrem, simulque rogantium, ali-
quam de ipso, ut ajebant, reliquiam:
quin & in domibus vix aliud esse auditum,
quām planctum, quasi mortua esset perso-
na, inquilinorum cuique charissima.

Nec brevis, aut diurnus duntaxat hic
erga P. Paulum affectus Senogalliensium
fuit, verūm diutinus, & stabilis; quippe
P. Alexander Mainerus, qui ex Veneta sua
Provincia, nesoio, qua de causa, Seno-
galliam

galliam venit, postea 6. Julij anni 1713. Romam perscripsit, adhuc perseverare inexplicabilem in ea civitate de P. Paulo estimationem, & ad solum ejus nomen auditum homines quosvis moveri ad lachrymas: celebratam esse in ejus honorem Academiam solennem, hoc est, exercitium literarium, magno apparatu, & adhibitis etiam musicis: varias ejus prostare imagines, easque sat similes, quantum nempe celeri festinatione assimilari potuerint: quarum unam comparaverit sibi, ut eam Serenissimo Hettruriz Duci offerret, cui non dubitaret, fore gratissimam.

Iterum P. Lana 29. Junii anni 1713. Anconâ ad P. Oliverium scripsit, accepisse se datas Senogalliâ literas, quibus sit significatum, adhuc tota die talem esse ad tumbam P. Pauli accursum, ut Domini Canonici, cum aliter suam stationem in ordine ad sacras functiones occupare non possent, fuerint coacti, numerosas custodias, ad scalas, quibus in chorum templi intratur, statuere: item advenire etiam exterios multos, lamentantes, ac flentes, ex urbe Luca, & alijs varijs locis, quæ P. Paulus aliquando excoluit, imò etiam Mutinâ, atque Florentiâ: & duos ex his posterioribus advenas, postquam longo tempore ad sepulchrum orâssent, tandem detractis vestibus cum omnium admiratis

one

one ibi acerrimè se flagellasse: verbo, fieri
ibi talia ab omnis conditionis hominibus,
ut timeatur, ne fiat excessus.

Reverendissimi quoque Domini Canoni-
ci Cathedralis Ecclesie 8. Decembris anni
1713. authenticum hac de re testimonium,
proprio ipsorum sigillo munitum, dedere,
in quo testantur, ex eo die, quo cadaver
P. Pauli Segneri celebris Missionarij Apo-
stolici ex Societate IESU in ipsorum templo
ante majus altare, in loco alias Episcopis
humandis designato, fuerit sepultum,
semper esse conspectum numerosum homi-
num devotorum concursum, tam civium,
quam exterorum, etiam è terris longin-
quis, ubi vir Apostolicus prædicaverat,
advenientium, & magna devotione ad
idem sepulchrum diu orantium, ac bene-
dixos illos cineres devenerantium: & hoc
à se proprijs oculis visum, dum quotidie
sepius ad celebranda divina officia, aut
functiones alias sacras templum ingressi
sunt.

Non autem Senogalliaz tantum, sed
pluribus alijs locis, P. Paulo demortuo so-
lennes honores habiti sunt. Fanenses
præter factas, ut suprà est memoratum,
pro ejus recuperanda salute ferventissimas
supplicationes, insuper pro eo demortuo
plura opera pia Deo obtulerunt: peculia-
riter autem Illustrissimus Dominus Franci-
scus Josephus Gabuccius Eques, & Com-
menda-

mendator Hierosolymitanus, effigiem P. Pauli suis sumptibus æri incidi curavit, & expressas inde imagines ultra bis mille dispersit: quæ omnes magna veneratione ab Apostolici viri amantibus fuere acceptæ: Romam quoque quasdam ad P. Oliverium misit, ut aliquam Summo Pontifici Clementi XI. offerret: acciditque, ut dum primò publicè talis imago proponeretur, quædam persona eam aspiciens fuerit intime mota, ad peccatorum confessionem, qua indigebat, mox peragendam, quam statim etiam fecit.

In oppido Mondolfo, quod Fano vicinum est, solennes quoque exequiæ pro P. Paulo sunt celebratæ, assistente Magistratu, ac populo, & facibus triginta circa tumbam accensis, multisque sacrificiis aliis pro defuncto oblatis. De urbe Regino in Longobardia, ubi anno elapsò P. Paulus instituerat missionem, scribit R. P. Claudius Bergomuzius, ibidem Rector Collegij, nobilium, ac civium sumptibus templum Societatis totum nigris pannis fuisse obductum, & in medio erectam tumbam sublimem, quam ornabant statuæ quædam, & Angeli, insignia Missionariorum præferentes, cum lemmatibus appositè additis: ad missam solennem, accidentibus optimis musicis cantatam, accurritæ multitudinem hominum tantam, ut constipati implerent Ecclesiam,

Addit,

Addit, dicta etiam esse sacra funebria, ab ortu auroræ ultra meridiem, & maximum eorum partem à sacerdotibus gradus litantibus, reliqua verò pro stipendio, à secularibus multis suppeditato: orationem funebrem ingeniosam (quæ dein in plurimum gratiam saepius fuit descripta, & ad varios missa) dixisse Dominum Comitem Mandulphum Maleguzzium Valerium, in qua P. Paulus cum cognomine Apostolo Paulo sit comparatus, utpote, qui simili nomine, ministerio, ac zelo fuerit prædictus. Nec minus etiam civitas Luca, cui gemina vice publicè Exercitia sacra exposuit, exequijs perhonorificis, in templo S. Michaëlis celebratis, ei parentavit: quod idem factum in omnibus fermè Ecclesijs Mondialium, in ea urbe degentium, & ceteris vicinorum pagorum, seu oppidorum.

Vel maxime autem honorarunt gratiam P. Pauli memoriam Reverendi Domini Parochi, in sic dicto Prioratu de Montuolo in Diœcesi Lucensi, quem anno 1710. missionibus suis lustraverat; quippe Admodum Reverendus Dominus Michaël Pierius Prior, & Parochus Montuoli, alios sui Prioratus Dominos Parochos, numero triginta, & unum, volentes lubentes induxit, ut solentes pro P. Paulo demortuo exequias concelebrarent. Quare Ecclesiam suam parochialem, ejusque latera, ad duas, tam maiorem, quam minores, ni-

K

gro

gro apparatu obduxit, dispositis quoque hinc inde calvariis, ac insignibus morti attribui solitis: in medio autem erexit magnificum Castrum doloris, columnis pluribus, & conopeo insigni spectabile, tellisque nigris, & albis, inter se implexis, eleganter ornatum, pyramidibus quatuor ex marmore picto appositis.

In totius machinæ medio sub conopeo tumba jacebat, cui præter calvariam imposita erat violacea stola, & biretum sacerdotale, quæ sacerdotis, & spinea corona, quæ Missionarij erant insignia: supra autem, & infrà ardebant magno numero facies, optimo, & elegantissimo ordine dispositæ. Celebrata sunt ab invitatis Dominis Parochis, & sacerdotibus alijs, matutino tempore toto sacra funebria: & quando hi non adstabant ad aram, detinebantur in sacro tribunali, audiendis numerosi populi confessionibus, qui accurrerat, ad percipienda pro defuncti refrigerio sacra mysteria. Lectis autem compluribus Missis privatis, præsentes Domini Clerici omnes linteati cantarunt primum Nocturnum Officij Defunctorum, ac Laudes.

Inde cantata est Missa solennis à Reverendissimo Domino Vincentio Fatinello, Canonicorum Lateranensium Abate, eaque cum alijs functionibus sacris finitâ, inter præsentes distributa sunt varia carmina,

mina, epigrammata, ac epitaphia in laudem defuncti composta. Tum vero ab Oratore celebratissimo, Illustrissimo Domino Joanne Baptista Santuccio, insignis Ecclesiae Collegiatæ ad SS. Joannem, & Reparatam Luccæ Canonico, dicta est nobilissima oratio funebris, in qua dictus Dominus maximè deprædicavit indefessos labores, maximos fructus, & pulcherrimum ordinem missionum, à P. Paulo institutarum.

Hac finita, & dictis pro more ad tumbam precibus, venit devota virginum illius Parochiæ turma, prælato labaro illo, quod durante missione solebat ijs præferri, quæ consistentes ad Castrum doloris flebili voce laudes P. Pauli cantarunt, ac ejus animæ requiem æternam à Deo precatæ sunt: quod spectaculum teneros in præsentium animis affectus vehementer exivit, & recurrente simul defuncti memoria, ex omnium oculis lachrymas dulces elicuit. Dictis postea adhuc aliquot sacris toti solennitati finis impositus est, quam (ut ait, qui hæc scripsit tunc præsens sacerdos) spectatur P. Paulus in cælo gratam habuisse, & populum ejus memoriæ ita devotum benignè respexisse.

... () ...

CAPUT XVI.

Æstimatio magna Virorum Maximorum de P. Paulo, & quædam Visiones de ejus Beatitudine.

PRIMUS ex ijs, qui P. Paulum magni æstimârunt, meritò adducendus est Supremus Christi in terris Vicarius Clemens XI. qui non solum illius opera sepius usus est, sed etiam de ejus virtute, ac zelo, magnam æstimationem præsetulit; non enim duntaxat de ejus morte acerbè doluit, ut Eminentissimus Pauluccius ad Eminentissimum Tanaram prescripsit, sed insuper de ipso valde honorificè fuit locutus; nam, cum festa S. Aloysij luce ex vicino Castello Gandolpho, ubi tunc respirationis alicujus causâ degebat, Tusculum venisset, inque templo Societatis ea die sacrum dixisset, & isto finito Patres illius Collegij in sacrario perbenigne admisisset ad osculum pedum, dixit Eminentissimo Fabrono adstanti, celebrasse se sacrum pro P. Paulo, quamvis speret, id ei necessarium non esse, sed ipsum jam Beati Aloysij gaudere confortio.

Inde conversus ad Patres ibi genuflexos addidit, magnam in morte hujus servi Dei jacturam, non tantum Societatem, sed totam Italiam passam fuisse: & se vix

non

non tangi aliquo scrupulo; eoquod fuerit causa laborum Senogalliensium. Tum rursus loquens Cardinali praesenti subjecit, P. Paulum quidem in omnibus locis, in quibus missiones instituisset, pro gloria Dei prestatissime permagna: ac Senogalliae superasse seipsum, & mirabilia inde prescribi. Similia post aliquot dies idem Pontifex Summus PP. Baldinucio, atque Crivello repetit, cum in Castello Gandolpho ipsum adiissent; quippe P. Crivellus ipsi se stitit; eoquod P. Pauli successor in missionibus designatus fuisset.

Alter magnus estimator hujus Apostolici viri fuit Serenissimus Hetruriaz Dux, qui, sicut eo vivente usus est ad subditos, vel in bono firmandos, vel revocandos à malo, ita audita ejus morte magnum dolorē à se conceptum ostendit: quamvis addiderit, inde se solatium capere, quod speret, habiturum se illum modò in cælo patronum. Petijt simul, ut ex reculis ab eo relictis aliquid sibi concederetur: & missum est ipsi flagellum, quo durantibus suis expeditionibus publicè se flagellare consueverat. Cum postea anno 1716. accipisset imagines aliquot P. Pauli æri incisas, in primis pro humanissima sua clemencia grates plurimas P. Horatio Oliverio, qui eas ipsi transmiserat, egit, testatus, eas sibi acceptissimas esse; eoquod venerabundam hujus viri memoriam semper servaret;

ret: dein Patri imagines offerent̄, in vicinum cubiculum duc̄to, ostendit imaginem P. Pauli eleganter depictam, simulque insinuavit desiderium suum, videndi historiam vitæ illius typis impressam.

Eminentissimus quoque Horatius Spada, prius Lucensis, postea Auximensis Episcopus (cujus jam saepius supra est mentio facta) tam altam de virtutibus, ac præsertim de eximio zelo, hujus, ut aebat, Apostolici viri, estimationem conceperat, ut diceret, se eam verbis non posse exprimere. Similiter Reverendissimus, ac Illustrissimus Dominus Benedictus Falconcinius Aretinus Episcopus (de quo itidem supra jam saepius dictum) de morte P. Pauli certior factus, pluribus literis maximam de hoc, ut ait, suæ Diœcesis Apostolo, existimationem palam omnibus fecia.

Illustrissimus autem Dominus Cæsar Gamba lunga, Senator Bononiensis, ad P. Antonium Milesium Secretarium Societatis 14. Junij anno 1714. scripsit, se cuncta die celebraturum anniversarium pretiosæ mortis P. Pauli, cui ipse anno clapsi, ac non sine plurimis lachrymis interfuerit: sequere reliquiarum instar affervare ejus coronam: intellige spineam, quam in poenitentium supplicationibus sibi solebat imponere. Idem atiis literis ad P. Oliverium 16. Februario anno 1716. datis, postquam maximas gratias; & cito; & Eminentissimi Parracci-
ani,

ani, tunc Senogalliensis Episcopi, nomine, ob transmissas P. Pauli imagines egit, addit, se, cum postea Ducalē Palatium, ubi vir Apostolicus obiit, inhabitaverit, quavis die mane primō lectum, in quo ille obierat, adiisse, ibique prostratum ad impetrandam mortem felicem, reverenter osculum ei fixisse.

Sanè lectus ille ab omnibus magno in honore est habitus: postquam enim P. Paulus in Domino obiit, totus quantus à Notario publico fuit recognitus, & civitatis sigillo munitus, atque instrumentum juridicum de eo confectum: tum verò repositus est eo in loco, ubi olim erat facellum antiquorum Senogalliae Ducum. Quin & cubiculo, in quo servus Dei mortem oppetit, dictus Dominus Gamba lunga eum honorem habuit, ut non, nisi orationis causā, illud intraret, & ad invocandum, ut ajebat, optimum Religiosum.

Dominus Ludovicus Murator, Serenissimi Ducis Mutinensis Bibliothecarius, editis etiam lucubrationibus celebris, in epistola ad Admodum Reverendum P. Tamburinum Societatis Generalem data, 28. Junij anno 1713. paucis diebus post obitum P. Pauli hunc vocat hominem sanctum, incomparabilem operarium in vinea Domini, atque, eum se habuisse amicum, & magistrum, cum ineffabili suo solatio, & statuisse ejus vitam conscribere. Sed capit is debi-

debilitate, qua laborabat, aut alijs nego-
tijs impeditus, destinata perficere nequijt:
postea tamen anno 1720. typis mandavit
Exercititia spiritualia, à P. Paulo publicè pro-
posita, prout partim ipse audiverat, par-
tim ab auditoribus alijs collegerat; nam
ejebat, etiam fragmenta talia esse instar
gemmarum, & publicæ utilitatî valde pro-
ficiua.

Nec minus devotus fœmineus sexus
hunc virum demortuum maximo in pretio
habuit, ex quo una taceri non debet Illu-
strissima Domina Blanca Theresia Bonvisis,
nobilissima Lucensis Matrona, nobilior
tamen virtute, quam stemmate, adeò, ut
eius vita ad publicam ædificationem, vel
jam sic impressa, vel brevi imprimenda
speretur. Hac P. Pauli viventis directioni
sese subjecerat, magnisque adjumento eius
missionibus fuerat: & hinc mortuo illo
Crucifixum, ex eius collo pendere solitu-
dono acceperat. Hunc, quoad ipsa vi-
xit, in gratiam defuncti memoriam solicito
affectu servavit; moritura autem quatuor
Monialibus sibi cognatis, ac Eminentissimi
Horati Spadæ sororibus, cum testamento le-
gavit, & his tandem monasterium, in quo
erant professas, substituit.

Adjungi posset adhuc bene longus ca-
atalogus, non solum hominum particuli-
um, sed integrarum communitatum, qui-
bus zelosissimus hic Missionarius summo in-

in pretio fuit, ejusque, ut videbatur, mors immatura, valde deplorata: at nimium oporteret diffundi, & superfluum foret; cum ex jam dictis, atque dicendis, colligatur facillime, omnibus persuasum fuisse, eum omnigena, & excellenti virtute fuisse conspicuum. Juvat tamen referre quorundam de ipso adhuc vivente præclara judicia, ne videatur, ut sol tantum in eclipsi, ita ipse duntaxat in morte, oculos, animosque hominum, ad se attraxisse.

Admodum Reverendus Dominus Joannes Baptista Polus, Rector, & Parochus Campergiani, testis juratus scribit 4. Januarij anni 1714. homines ibi ad missionem P. Pauli convenientes, ipsum communis admiratione, & universali veneratione, tanquam Sanctum prosecutos fuisse. Illustrissimus Dominus Falconcinius Episcopus Aretinus testatur, nobiles Marronas integris sex, vel septem horis, expectasse quandoque, tantum, ut apud illum ex homologis in facere possent, & saltem semel de rebus animæ suæ cum ipso conferre: quin unam ex ijs curasse cum occultè depingi, ut saltem ex ejus imagine solarium caperet. Alia verò nobilis foemina tacite ejus industria permutavit cum alijs, & illa reliquias instar servavit. Pariter Dominus quidam, qui ipsum exceperat hospitem, relatum ex oblivione ejus indussum nunquam resti.

restituere voluit: quin imò à Notario publico authenticum de illo testimonium conscribi curavit.

Nec tantum magna de ipso opinio fuit, dum zelo suo, & verbo Dei efficacissime proposito, in expeditionibus sacris omnium animos intimè penetraret, sed alias quoque ita, ut etiam tantum pertransiens compul-satis campanis exciperetur, ut præsertim contigit Massæ, loco intra territorium Pe-scinnense contento. Nec sacerdotalium solum, sed & personarum religiosarum, fuit hoc honorificum de P. Paulo judicium: certè Abbatissa ad S. Justinam Lucæ de ipso scripsit, quod ab omnibus in eo monasterio habitus sit potius Angelus, quam homo: & ob summam ejus estimationem Moniales omnes attentissimas fuerint, ne vel syllaba ab illo proleta ipsas præteriret: quandoque etiam ad quinque horas cum incredibili sua satisfactione ei auscultaverint.

Par de ipso sensus erat Patrum Societatis, etiam virtute celebrium, qui precibus multis instabant, ut eum in missionibus comitari liceret: & sic ei convivendo, virtutis eximiar exemplis, ad optima quæque incitari. Non ideo tamen negatur, P. Paulum adversarios quosdam, quin & oblocutores sensisse, maximè ex sacerdotalibus, quibus morum correctio non arridebat: at nec ipse Servator à similibus obmurmurationibus fuit immunis. Verum de his, obiter hic

Hic indicatis, alibi erit locus plura dicendis. Hanc insignem de P. Paulo opinionem videtur Deus quoque probasse, immo similem piorum in mentibus excitare voluisse, praesertim post eius obitum; quippe aliquibus, à virtute, ac devotione celebratis personis, dicitur caelesti in gloria visus: quibus tam alia, quam fides purè humana (ut decretis Pontificijs rite obediatur) minime arrogatur.

Persona quædam, saepius visionibus supernis illustrata, iussu sui Confessarij, familiaris Clerici scripsit, quod, cum triste nuncium de P. Pauli migratione venisset, ipsa magnam tristitiam senserit, non quasi de salute Patris timeret, quem sperabat jam gloriâ caelesti potiri, sed quod videret plurimas animas, privatas tanto auxilio, quod ab hoc Missionario zelosissimo accipiebant: quodque propterea ipsum P. Paulum rogaverit, ut apud Deum ageret earum patrum, illasque è caelo juvaret. Addit, ipsum sibi dein dormienti sub diluculum apparuisse, vultu, & ueste, quali solebat prius vivus incedere, atque dixisse. Be no sis animo: ego jam illo gaudeo bono, quod tam ardenter desideravi: servias Deo alacriter, inque ipso speres, atque confidas. Non est abbreviata manus Domini. Non deserunt Deo alij, qui ejus promoteant gloriam, & in vinea illius laborent, & fructus ferant vi te aeterna; quare sta in pace in Domino: & his

his dictis disparuisse: se autem excitatum à somno debitas gratias Deo egisse.

Subiungit, quodd, sive oret, sive aliud faciat, semper versetur in præsentia Dei, in quo ceu in speculo videat P. Paulum, gloriæ cœlesti fulgentem, non quidem visione corporali, aut imaginaria, sed intellectuali (hæc juxta Ascetas altioris est ordinis) quali etiam alijs de rebus soleat frui. Rursum ait, sibi videri, quodd ab ipso semper animetur, ad multiplicanda poenitentiaz, & abstinentiaz opera, quibus impetraretur peccatorum conversio: quasi audiret ipsum dicentem: *O felix penitentia, que tantam mihi gloriam promeruit!* insuper se stimulari ad totum orbem, si obedientia id permetteret, obeundum, ac ubique prædicandum, quam copiosè Deus remaneretur eos, qui pro sua gloria patiuntur, & operaantur: ulterius, majori semper claritate sublimium illustrationum, sibi ostensam esse plenitudinem gloriæ, ac gaudij hujus Apostoliciæ virtutis.

Pergit autem afferendo, P. Paulum sub primum suum in cœlos introitum, à B. Virgine esse exceptum, atque ab eadem deductum, ad adorandum thronum immense gloriæ majestatis divinæ: admisum exinde fuisse à Christo Domino ad sacrorum vulnerum dulcissima oscula: ipsumque tunc protulisse hæc verba: *Sanctus, Sanctus, Sanctus:* tum ex Dei benignitate, atque ob sua

fuz merita fuisse in sublime euctum inter Apostolos, ut frueretur præmio laborum, pro gloria Dei exantlatorum. Tandem addit, se hac ineffabili illustratione permotam fuisse, ut exclamaret: *O bonitas! ô immensa bonitas! ignis semper ardens, & nunquam deficiens! ô si semper arderet cor meum, & possideret amorem tui! sempèrque in se crevissé desiderium amandi Deum, & efficiendi, ut ipsum etiam alij ament.*

Alia persona refertur, durante sua oratione vidisse P. Paulum quiescentem in immenso corde divino, simûlque intellexisse, quod juxta mensuram suorum in vita laborum modò dulcissima quiete gauderet. Cuidam alteri, quæ nunquam cum vidi in vita, post obitum suum, apparens, dixit: *Scias, quod statim post mortem evolaverim ad paradisum, ubi nunc gaudeo; quia passus sum pro animarum salute. O quantum ibi estimatur pati aliquid pro illarum sanctificatione! Si redirem ad terras, alia de causa non redirem, quam, ut paterer pro animarum salute.* Cùm autem confessarius hujus personæ visionem modò narratam credere nolle, impetravit ipsi P. Paulus sanitatem pedis male afficti, cui per duos jam menses minimè insistere poterat, ut mox expeditè posset quovis pro libitu ire: quo beneficio accepto commotus fidem habuit narrationi, quam priùs omnino rejecebat.

De alia rursus persona, quam communis fama ferebat, multis donis supernaturis præditam, retulit quidam Prælatus fide dignissimus, eam sibi tanquam certum asseruisse, P. Paulum statim post obitum fuisse ad cælos translatum. Iterum de alia simili testatur sacerdos apprime doctus, & pius, eam, dum pro illo mortuo bis ad sacram communionem accederet, ipsum vidisse sub pallio B. Virginis, summè splendentem, sibique inde benedicentem: quibus testimonij non parùm credibilitatis accedit, ex ipsa vita hucusque narrata, & virtutibus, præsertim zelo animarum, & devotione erga cælorum Reginam, adhuc narrandis: quivis tamen illis eam adhibeat fidem, quam in Domino judicaverit dandam.

C A P U T X V I I .

*Beneficia ad Invocationem P. Pauli
Defuncti impetrata.*

DEUS, cui placuit, operâ P. Pauli ventis plurimorum sanare animas, videtur mediante ejusdem defuncti intercessione, voluisse plurium mederi corporibus: certè magno numero habentur testimonia de gratijs ad illius invocationem acceptis: relictis autem ijs, quæ mi-

pùs

nus firma auctoritate nituntur, ea tantum
hic referentur, quae aut Episcoporum, aut
Prælatorum, aut aliorum testium fide di-
gnissimorum, vel etiam juratorum, asser-
tione, vel Notarij publici instrumento fir-
mata sunt: & hujusmodi plura subministra-
vit Illustrissimus Dominus Franciscus Ben-
tinus Episcopus Comachiensis, & sub mor-
tem P. Segneri Senogalliae Vicarius Apo-
stolicus: qui cum maximam estimationem
de P. Paulo haberet, eam alijs quoque stu-
duit ingenerare. Aliande etiam plura in-
nocuere: quæ tamen neutiquam omnia, sed
aliqua tantum ex ijs hic recensebuntur.

Initio mensis Augusti anno 1713. cum
neccdm duo integri menses à morte P. Pau-
li fuissent elapsi, & D. Lomellinus Seno-
galliae Religiosis Virginibus Ordinis S. Be-
nediti, in monasterio S. Christinæ, assigna-
tus esset confessarius extraordinarius, si-
mùlque constitutus, ut ijsdem Exercitia
spiritualia traderet, Cristaura Fagnana Mo-
nialis ibidem, quamvis graviter febre la-
borans, & jam undecim ejus paroxismis
debilitata, voluit tamen è lecto properare,
& sacris commentationibus illis interesse:
at tertia, ac quarta die, ita se debilem
sensit, ut pedibus non posset insistere. Ac-
cessit ingens amaritudo in ore, & ariditas
faucium tanta, ut non sine magna difficul-
tate deglutire sacram hostiam posset.

Itaque, dum videret se reddi semper
magis

magis infirmam, angebatur quām maximē, quōd vix non desperare deberet, se una cum alijs Exercitia sacra prosecuturam: denique secum decretit, in hac sua necessitate ad P. Paulum confugere: & hinc eum fiduciā magnā rogavit, ut sibi impetraret sanitatem corporis eousque durantem, donec Exercitia absolverentur: tum verò defē statueret Deus, quidquid ipsi placitum foret: ità precata corpori ægro admovit indusij, P. Paulo olim usitati, frustillum, & aliquot ejus capillos: babit etiam modicum aquæ, quam is missione durante sua benedictione sacraverat: & ecce subitò sensit redire nervis, ac venis vigorem, itemque toti corpori vires, ut sinè ullo deinceps in commodo genuflexa interesse potuerit omnibus illis pijs exercitationibus. Nausea quoque ciborum cessavit, & rediit tam vivida sanitas, ut nunquam meliori fuerit usq: ità non solūm ipsa, sed & Abbatissa, Priorissa, & infirmis Præfecta cum jumento testatæ sunt.

Dominus Canonicus Hieronymus Claudius de Corinaldo, annorum quinquaginta quatuor, cum juramento affirmat, se ingenti dolore dextri genū per plures menses afflictum fuisse, qui continuò creverit, ità, ut ambulando pedem duntaxat per humum trahere, non autem attollere sinè magno dolore potuerit: cùm autem narrari audisset gratias, invocatione P. Pauli obtentas,

tas, se quoque ad ejus opem confugisse, ac promisisse, quod, si mala hoc liberatus fuerit, quotidie in illius memoriam Paer, & Ave dicere velit: paulo post autem se dormitum ivisse, manè vero exsticatum omni dolore sensisse se liberum: neque ex eo tempore eam pedis infirmitatem unquam redijisse.

Luce in Monasterio S. Josephi virginem quandam ex Ihs, quae vocant eam veritas, Angelicam nomine, subita apoplexia prostraverat, ita, ut nec confessionem peragere, nec sacrum viaticum percipere posset; quæ impotencia magnum mororem cœceris Monialibus attulit, ne pote, quæ dilectam sororem ultimis sacris mysterijs ante obitum suum muniri, vel maxime desiderabant; quare memores promissionis, libi factæ à P. Paulo adhuc vivente, nesciunt, quod ipsi, quantum posset, vellent favere ab ipso opem efflagitarent: simul infirmas frustulum induſij ejus applicaverunt: & ecce ista mox sui compos effecta, & exhortationes facere, & sacram communionem recipere valuit: quibus rite peractis, ut optima spes est, ad vitam æternam transiit. ita Romam ad Superiores Societatis ab aliquæ Monasterij illius Superiori est scriptum.

Iterum Luce in monasterio alio Virginum (quod à S. Giovannero nomen accepit) Monialis Maria Elisabetha Spada, so-

zor Eminentissimi Horatij Spadæ, acerbissimo capitis dolore fuit oppressa: erat autem dies 26. Junij anno 1713. quo triste nuncium de P. Pauli morte Lucam pervaenerat. Contulit illa se tamen in Chorum cum alijs, ad Matutinum dicendum: at non solum prior dolor increvit, sed totum corpus tam male se coepit habere, ac si vehementer febre fuisset correptum, ita, ut dubitare inciperet, an finis periculo supertenturi deliquij posset ulterius ibi manere.

Ne tamen perturbationem qualemcumque in Choro causaret, persistit ibi; cum janitrix ei attulit chartam, qua continebatur segmentum pileoli P. Pauli, aliunde ipsi submissum: tum statim eam chartam impoluit capiti, simulque animo ad illum converso dixit: O benedicta anima! ego spero, quod certò sis in paradiſo: attamen pro meo solatio da mihi beatitudinis tuæ certius signum, mitigando hunc meum capitis dolorem, ac totius corporis infirmitatem. Et in momento non tantum capitis, sed totius etiam corporis, dolor omnis evanuit: quasi prius nihil omnino mali sensisset. ita ipsamē manu propria fuit testata.

Alteri cuidam Moniali, quæ à P. Paulo adhuc vivente ob magnam virtutem valde estimabatur, post hujus mortem in una genarum enata est fistula, quæ per quinque menses dolore continuo eam exacerbiabat,

marc-

materiā insuper putridā per os prorumpente; quare ad viri Apostolici opem confagīt, atque ex quadam ejus epistola acceptam nominis ejus subscriptionem partī lēse reverenter applicuit: & statim fuit sanata. Cūm autem dubitare inciperet, an beneficio extraordinario, an casu sanitatem recuperāsse, mox rediit malum, usque dum denuo ad P. Paulum iuvandum reversa, iterum, & integerrimē quidem, illo fuit liberata.

Mondolphi quædam puella, Antonia Bettina vocata, annis duobus gravissimo dolore dentium cruciabatur: at admota bombyce, quæ P. Pauli cadaver attigerat, cruciatus omnis cessavit, nec postea reverti est aulus. Domina Maria Magdalena Giovannellia Anconitana, nervorum contracitione, doloribus stomachi, & intumescentiā corporis, graviter affligebatur: at, dum magna cum fiducia P. Pauli opem implorat, & simul in os immittit filum aliquis panniculi, qui usui fuerat, quando ipse in ultimo morbo vena fuit aperta, subito recepit valetudinem integrum, teste ipius Confessario, qui id certā scientiā noverat. Fani puella jam longo tempore erat strumosa: at, cūm aspersa est aquā, à P. Paulo benedicta, & simul tacta velo B. Virginis, quod ille in Missionibus publico cultui expōnere solitus erat, strumæ disperuerunt;

unde & ipsa Senogalliam venit ad ejus tumulum grates persolutura.

Senogalliae erat virgo quazdam jam triginta quinque annorum, quae in pectore acerrimum sentiebat dolorem, & adhibitis frustra remedijis alijs, jam chirurgus decreverat uti sectione: erat autem tunc ipsa dies festa SS. Corporis Christi, & simul obitus P. Pauli; unde sectio in diem sequentem visa est differenda. Interim quidam sacerdos ægræ virginis attulit frustulum de veste defuncti, quod cum illa pectori læso magna cum fiduciâ applicuisset, statim dolor omnis abstersus est, & paulo post, apostemate sponte disrupto, putrida materies copiosè profluxit, ac intra breve tempus etiam vulnus plenè coaluit. Cum-autem eadem Virgo post aliquot menses obruetur dentium dolore intolerabili, qui insuper fœdum in modum ejus os distorquebat, confugiens denuo ad Archiatrum suum priorem, admovit ori, ac dentibus quoddam numisma ex ijs, quæ P. Paulus durante missione distribuit: & mox dolor cessavit, ac ipsa commodè cibum capere potuit: intra duos verò dies, tum intumescientia omnis evanuit, tum os ad situm pristinum rediit.

Rursus Senogalliaz, dum fœmina quazdam quinquaginta annorum, domum regreditur, per clatros ferreos antefores, scrobi cuidam impositos, subito per quoddam illo-

illorum foramen pes illius usque ad genu
imperu tanto fuit delapsus, ut ipsa existi-
maret, omnia ossa esse confracta; unde ve-
hementissimo dolore adacta altissimè cla-
mare incepit: quod audiens, atque con-
spiciens ejus filia, tertium Ordinem S.Fran-
cisci professsa, & ipsa clamavit: Ach mi Pa-
ter Paule Segneri! effice, quæso, ut ruptæ
non sint ossa matris meæ! & celerrimè est
exaudita; nam in pede è clatræ extracto
apparuere quidem nigrantes livores: at
obliti albumine ovi nullam amplius attu-
lerunt dolorem, & duos intra dies mulier
sanitati integræ redditæ est.

Cùm autem foemina ista, à quodam vi-
rō proiectæ ætatis inducta, dubitare inci-
peret, an P. Paulo; an verò S.Antonio (qui
die lunæ, quo hiç casus acciderat, Seno-
galliae colitur) hoc beneficium adscribi de-
beret, ecce die lunæ sequenti opprimitur
dolore intolerabili, totum per corpus, ma-
ximè autem circa renes usque ad medium
ventrem, adeò, ut applicatis frustra reme-
dijs varijs crederetur brevi moritura, &
hinc à sacerdote accurate absolveretur.
Dám autem ità immaniter cruciaretur, à
filia, adstante, & varijs fomentis, ac un-
ctionibus eam juvare conante, petijt sibi
dari P. Pauli imaginem: quam cùm acce-
pisset, & magna fiduciâ sibi applicuisset,
subito se omni dolore liberam sensit; unde
filiam jussit desistere ab adhibendis remedijs
alijs,

alijs, ajens, sibi videri, esse se in paradi-
sum translatam. Dum autem placidè ita
quiesceret, filia imaginem dictam removit:
at rediit statim gravissimus dolor, clamor,
& ululatus: verum, dum reddita est ipsi ima-
go, dolor iterum cessit: & sic agnitus fuit,
quo ex fonte beneficium duplex profluxer-
it: quo patefacto potuit exinde sine per-
iculo imago transferri, & pristino loco re-
stitui.

Plures gratias Petrasanctæ in Hetruria,
ad invocationem P. Pauli obtentas refert
omni fide digna nobilis Domina Maria Le-
muccia. Et in primis ipsius conjunx Achil-
les Lemuccius, Ordinis S. Stephani Eques,
periculosa febri laborans, monitus ab uxa-
re, prædicta Domina Camilla, P. Paulum in
opem vocavit: & statim sensit malo se li-
beratum, ita, ut (quemadmodum ipse met
authentica fide testatus est) nesciret, quid
diceret, & adstantes interrogaret, anno non
viderint aliquem, qui sibi tam dextrè le-
gum composuisset, ut modò tam bene quie-
soret, qui priùs tam male habuisset.

Ibidem quidque quædam Domina præ-
gnans, & male affecta, multum timebat, ne
abortiret: at à Domina Camilla persuasa
ad P. Segneri intercessionem confugit: &
suo tempore sine ullo vel minimo incom-
modo peperit, & quidem masculum sanum,
ac vividum, qui, quod unicus esset, pla-
ritum gaudij toti familie attulit, at-
que

que in P. Pauli memoriam in baptismō Paulus est nominatus. Eodem loco alia fossima per dies viginti jam decumbebat, infestata contumuo vomitu, adeò, ut timaretur, ne morbus, à Medicis volvulus diceret, tandem subsequeretur. Cùm tamen modicum frustillum literas, à P. Paulo olim scriptarum, à memorata Domina Camilla acceptum, in potu hausisset, & aliud frustillum indusij ejusdem stomacho applicisset, valetudinem pristinam recuperavit.

Icerum loco eodem magnum beneficium corporis, & majus animæ, ab eodem in opem vocato accepit, Domina Ludovica Baldina, nata Amstelodami, sed plures jam annos in Italia commorans. Hæc anno 1713, initio Octobris cœpit in manib[us] perti talem contractionem nervorum, ac arditatem eorum, ut nec frigus, nec calorem sentiret, adeò, ut sine sensu in bellentem aquam manus immerget: quodam autem occasione ad Dominam Camillam invisit, ibique imaginem P. Segnori, ante paucos menses defuncti, conspexit, atque ab hac Domina est animata, ut P. Pauli apud Deum intercessionem imploraret, simulque accepit de ejusdem indusio frustillum, ut id secum constanter gestaret.

Fecit, quæ sibi fuerant suasa, nec sine gemino fractus quippe imprimita à corporis malis penitus est liberata, ut cum juremento fuit testata: deinceps iam intus in ani-

mo magis sana fuit effecta; nam, ut est fac-
ta, saepius titubationes, ac dubia, passa est
circa religionem Catholicam; cum eam
primum fuisset amplexa, quando iam erat
adulta; at post sanitatem corpori redditam
etiam his fuit exempta: sensit quoque se
ineitari, ad elicendos intensiores fidei actus;
& ad SS. Sacraenta frequentius recipi-
enda.

Similes gratias Sarzanæ obtentas asse-
rit Dominus Augustinus Mascardus Cathe-
dralis Ecclesæ ibi Archidiaconus: aliis lo-
cis impetratas alij referunt: verum ipsis o-
missis non est visum silentio præteroundum
beneficium, quod sibi collatum authenticè
fuit finem Novembris anni 1713. testatus
est P. Franciscus Bartalocius Societatis JE-
fu ficerdos. Hic P. Paulo viventi ami-
cissime convixerat, & postea eo mortuo
sub initium Octobris auris dextræ ultimè
perdiderat; cum imminentibus Kalendis
Novembris, & festo omnium Sanctorum
surditas illa eo gravior, ac molestior ipso
est visa, quo major tunc penitencium ad
fiera tribanalis solet esse afflatus.

Quare memor P. Paulum quoque, dum
in terris ageret, surdastrum fuisse, ad cuius
pijs votis conversus, per amicitiam, que-
se in terris fuisset dignatus, rogavit, ut,
cum experimento proprio nō esset, quām
grave sit, obtusis auribus esse, sibi impe-
traret à Deo expeditum easum usum, me-
xime

ximè in proxima Sanctorum omnium celebritate, ut populo, copiosè accurrenti, pœnitentiaz sacramentum possit commodè administrare. Et ecce vix preces suas finierat; cùm auris ad officium rediit, ejusque usus liberrimus etiam imposterum perseveravit. Claudatur hoc caput celebri dicto nobilis cujusdam Lucensis, viri gravissimi, qui auditis ex aliorum relatione beneficijs, Senogalliz ad P. Pauli sepulchrūm acceptis, nullam admirationem praesertulit, sed tantum respondit: Quot similes gratiæ sunt etiam alijs locis acceptæ? quot haec quoque in urbe? sed ob graves rationes non manifestantur.

C A P U T XVIII.

*Gratiæ gratis datæ P. Paulo ad
huc Præventi à Deo Concessæ.*

Non tantum post mortem, sed jam in vita apparuit vir hic Apostolicus, pluribus gratijs gratis datis à Deo donatus; nam oœculta cordium introspexisse, futura prædixisse, ægros sanasse, dæmonis ejecisse, ac similia stupenda patrâsse; multorum relationibus, & quidem quibusdam in forma, ut ajunc, juridica fatus, est confirmatum: ex quibus hic aliqua enarrabuntur, relicta cuique plena de-
L s ijs

ijs sentiendi libertate. Et in primis quod attinet ad occultorum notitiam, Monialis quædam scripto testata est, P. Paulum omnia sua facta occulta sibi dixisse, quemadmodum Christus fœminæ Samaritanæ sua edixerat, & totam sibi explicasse economiam suam interiorem.

Persona quædam Camajorensis ex Diceensi Lucensi epistolam quandam acceperat, cui cum P. Paulus obvius fieret, mox eam allocutus afferuit, literas ab ea acceptas fuisse, quæ talia, & talia continerent: quo auditio penitus illa obstupuit, certa à se nihil indicatum ulli homini esse, à quo ille id potuisset rescire; unde ex eo tempore majorem de ipso, tanquam de viro sancto, opinionem concepit.

Dum quædam virgo, in Monasterio quædam Lucae professa, cum P. Paulo de rebus conscientiæ suis conferret, hic ei dixit, circa alia viveret secura, atque quieta: attamen diligenter caveret, ne se occuparet laboribus illis, ex quibus posset referre vanam sui apud alios existimationem, aut inapem honorem: cum autem illa reponeret, se ad illos labores aptam non esse, Pater exactissimè ipsi exposuit, quas interioresquietudines passa sit, & quos defectus admiserit, ex occasione laboris, in eum finem ab ipsa peracti, ut ab alijs estimaretur, tamque minutim cuncta tunc acta aperuit, ut Monialis sumpmè stupesceret, nec nisi cœlum

Hic ipsi infusam eam notitiam credere posset.

Jam verò post mortem P. Pauli dicta Monialis magnam sentiebat difficultatem, in propalando ad servi Dei gloriam isto arcano; cùm ecce quidam ejus oculus male cœpit affligi: ipsa autem P. Segneri opem imploravit, ac vestis ejus segmentum oculo laeso admovit, simùlque promisit, se manifestaturam ad ejus honorem illam oculorum scientiam, quæ modò narrata est. Et mox sensit mitigari dolorem, potuitque (quod ipsi priùs impossibile erat) aperire oculum, redditque ei integra sanitas.

Verùm non tantùm occulta præsentia manifestare, sed & futura prædicere vir Apostolicus noverat. Certè quidam sacerdos, nescio, quo affectus fastidio, voluit abdicare se munere, alias animæ ipsius, & aliorum perutili. Pater hujus consilij certior factus non tantùm id improbarit, sed insuper sacerdoti illi prædixit, ipsum graves poenas daturum, si destinata perficeret: perfecit is tamen: at mox obrutus fuit tot molestijs, atque miserijs, de nimium quantum sentiret, P. Paulum fuisse veridicum vatem, id quod postea epiam scripto professus est. Dum in ora Genuensi marítima versaretur vir Dei, obvium habuit D. Doctorem Moricum, quem cùm interrogasset, quo tenderet, ac is genuit

nuam reposuisset, Pater Paulus ei prædixit, iter fore infaustum: addidit tamen, iret tantum, mali non succubiturum; quare ille profectus multas quidem adversitates perpessus est, adeo, ut aliquando ejus uxor per præcipitum quoddam decideret: attamen falvis omnibus tandem Genuam tentuit.

In quadam civitate Hetruriaz aliqua Domina, et si optimæ vitæ, mortem tamen vehementer horrescens, has suas angustias P. Paulo solatijs capiendi causâ exposuit: cui is animosè prædixit, fore eam in ultimo agone prorsus tanquillam, ac molestijs omnibus, & solicitis curis exemptam: quod dein etiam alteri Domini, quæ prioris angores optimè noverat, confirmavit, inquiens, illam non debere deficere animo, habituram mortem suavem, ac dulcem. Et eventus veram prædictionem fuisse ostendit; siquidem Domina illa sub vitæ finem sèpius interrogata, an à nulla conscientiam gravari sentiret, semper tranquille respondit, à nulla omnino: quin nocte mortem antecedente lata cantavit cum Psalmista: *Lata sum &c.* tandem vultu subridente, & animo tranquillissimo obiit.

Domina Camilla Lemuccia, sèpius suprà adducta, in epistola sua ad Dominam Victoriam Nunez, sororem P. Pauli 30. Julij anno 1712. data, scribis, ipsum libri vati-

vaticinatum fuisse cruces complures, atque ad eas ferendas se animasse: præser-tim autem prædixisse, quod post mortem duorum filiorum non amplius suscep-tura sit liberos; eoquod Deus nolit eos con-de-re: id quod planè contigerit, et si ipsa es-set ea setate, quæ propagandæ familiæ es-set perapta. Addidit insuper, se priùs per annos octo semper, aut ægrotam, aut convalescentem, fuisse: ex quo autem cum P. Paulo agere cœperit, viribus cor-poris ita validis esse, ut pluribus ejus mis-sionibus, non sùmè adstantium admiratione, interesse potuerit: ex quo videtur posse concludi, ipsum etiam gratiâ curationum à Deo donatum fuisse.

Et sanè quidam sacerdos ægrotus, re-medijs pluribus frustra adhibitis, jam diu ledo erat detentus: at servus Dei cum invi-sens brevi sanavit, aquam velo B. Virgi-nis benedictam in potum præbendo. Idem refertur effectum circa quandam cæcum, & alium membro alio captum. Lucae erat adolescens, annum agens circiter decimum quartum, qui decumbebat ex molestissi-ma febre, qua liberari nequibat adhibitis pluribus pharmacis; cùm tandem ejus Do-mina mater Angela Nobilis applicavit ca-piti ejus imaginem Deiparentis, olim à P. Paulo ipsius patri donatam, dum is mis-sioni cuidam interfuisset: simûlque filio injunxit, ut B. Virgini ex toto corde se com-

commendaret , & per P. Segneri merita eam obtestaretur , ut sanitatem sibi restitueret : & paulo post incredibili matris gaudio febris omnis discussa est.

Mariæ Salviæ Moniali , in Figlinensi monasterio S. Crucis professæ , è collo enatus est horribilis tumor , qui nulla poterat arte curari : post aliquot autem menses anno 1707. eò P. Paulus advenit : dum ipsa jam omnium opinione ad extrema erat redacta ; unde à sororibus alijs ejus precibus impensè est commendata : at ille iussit ei renunciari : bono esset animo ; hac de causa non morituram : simul ei submisit particulam ligni S. Crucis , & aliam veili B. Virginis : quas cùm accepisset , & venetari cœpisset , statim melius cœpit habere : & paucos intra dies evanescente tumore plenæ sanitati est restituta , cum omnium admiratione. ita testatus est ejus Dominus frater Franciscus Salvius Ecclesie Figlinensis Præpositus.

Mondolfi , quod Fano vicinum est , dum ibi paulo ante mortem P. Paulus missione occupatus degebat , quædam paupercula mulier eum rogavit , ut à se morbam , qui ipsi erat valde molestus , dispelleret : cui ille respondit : iret Lauretum ad B. Virginem , & sanam reddituram : quod magno fœminæ gaudio factum est : cùm postea reversa audiret , virum Dei jam esse defunctum , non potuit se continere , quin sanum

etiam proclamaret : qualem etiam alij plurimi ea in regione vocabant.

Dominus Augustinus Mascardus, Archidiaconus Cathedralis Sarzanensis Ecclesiae, fidem facit, quod, cum Dominus Jacobus Lomellinus plaga quadam laboraret in tibia, applicato frustulo indusij P. Pauli, ea mox fit sanata. Quin & P. Christophorus Segneri, defuncti, ut supra dictum est, patruus, nepotis sui meritis adscribit liberationem ab asthmate pectoris, & quadam noxia intumescentia corporis.

Dominus Thomas Togninus Lucensis narravit, sacerdotem quendam Castelli novi in tractu Grafagnensi acquisivisse spinem illam coronam, quam P. Paulus ibi in missione portaverat : post aliquod verò tempus obrutum fuisse gravissimo capitis dolore : at applicatione dictæ coronæ, & precibus fusis, ut Deus per merita hujus servi sibi succurreret, subito dolorem omnem abstersum fuisse.

Sarzanæ 20. Decembris anno 1711. Vincentia Neria occasione partus eo erat deducta, ut medicus jusserit, eam ultimis sacris mysteriis ad mortem muniri : jamque confessionem peregerat, & SS. Viaticum expectabatur ; cum alia mulier sciens, apud nobilem Dominam Franciscam Ferrarinam servari aliquod P. Pauli indusium, eam accessit, atque, ut id applicandum infirmæ, paululum commodare velit, rogavit. Noluit

luit ista alienis manibus confidere seum
thesaurum : sed ipsamer ad ægrotam indu-
sum detulit : quod cum mulieri periclitan-
ti fuit admotum, & Deus per merita P.
Pauli adhuc viventis interpellatus, mox
infirma viribus receptis è lecto surrexit,
obstupescientibus præsentibus, medico, chi-
rurgo, obstetricie, ac matre ægrotæ, &
postea narrationem hanc juramento suo
firmantibus.

Domine Joannes Bartholomæus Ma-
gnanus Parochus Carregini in Diœcesi Lu-
censi, & territorio Mutinensi, graviter
erat ægrotus, eo tempore, quo P. Paulus
ibi missionem inceperat ; cum hic ad illum
invicit, & post quædam alia hinc inde di-
cta, ac pulsu arteriæ manu tentato, sic
eum est allocutus : Eja Domine Paroche !
volo, ut febris pellatur hoc baculo : &
spero, adfore divinum auxilium, ita, ut
Dominatio sua dominicâ proximâ præsens
esse possit benedictioni Papali. Cubiculo
deinde egressus puellæ Parochi nepti asse-
ruit, ipsum esse extra periculum : & eidem,
dum occasione supplicationis ipsi obvia fie-
ret, rursus asseruit, tali die febri immunem
futurum : quod & contigit ; tertia enim
circiter die, tussi vehementi Dominus Ma-
gnanus fuit concussus, adeò, ut multum
sanguinis ex ore egereret : tum verò cœ-
pit melius semper habere, & quasi à morte
resuscitari, ita, ut adveniente dominica
Pon-

Pontificis benedictioni facile adesse potuerit. Hac de re ipse Dominus Magnus fidem scripto Ruthentico fecit.

Testatur quoque Dominus Julius Carolus Fagnanus Nobilis Senogalliensis, se, postquam publica fama percepisset, patratum opera P. Segneri Junioris prodigium, unà cum Domino Marco Marcherto, etiam Senogallensi Patrio, accessisse xenodochium illius civitatis, ibique accurate interrogasse peregrinum quendam ex Hetruriā venientem, quadraginta quinque annorum hominem, Antonium de Rubeis nominatum, qui sibi dixerit, se cognovisse P. Paulum in missione, quam ante tres annos Junio mense instituerit Fivizzani, castello unum tantum milliare à sua patria Trogolum dicta dissito, ubi audiverit publicè dici, à multis personis Pontremolio advenientibus, etiam serico, aut alijs pretiosè vestitis, factum, quod sequitur.

Scilicet, quod P. Paulus per iter obviam factus sit pauperi homini, qui miserè lamentabatur, obtibiam suam, paulo antea abruptam: quem Pater primò fuerit suavissimis verbis solatus: tum verò stropholum suum protraxerit, eoque tibiam læsam circumligaverit, effectu prorsus mirabili; nam potuit pauper ille domum reverti, quo dum appulit, tibiam sanam invenit. Addidit is peregrinus, hanc curationem mirabilem accidisse in missione

M

Pontre-

Pontremolij habita, qui locus Fivizzano
viginti milliaribus distat.

Quod ad potestatem dæmones eiiciendi,
vel eos compescendi attinet, aliqui solum-
modo casus h̄ic afferendi sunt visi.. Pr̄i-
mus Pontremolij contigit, ubi ad P. Pa-
lum adducta est fœmina quædam, jam
longo tempore à dæmone obfessa, & do-
mesticis ob molestias continuatas gravissi-
ma. Hortatus eam est Pater ad invocan-
dam suppliciter Numinis opem, eique
ligno S. Crucis benedixit, & quietam do-
mum remisit: post aliquot verò dies ito-
rum rediit, benefactori suo maximas gra-
tias referens, atque afferens, esse omni no-
se liberatam.

Alter casus contigisse refertur quodam
in loco, dum P. Paulus pro suo more de
B. Virginis cultu, atque amore, ferven-
tissimè ad populum diceret; tunc enim
energumena quædam importunissimis, &
maximè absonis clamoribus obstrepens,
auditorum attentionem turbavit; quare
P. Paulus applicato B. Virginis velo dæ-
monem ex ipsa ejecit, ita, ut hic non
amplius ausus sit, fœminæ illi esse mole-
stus. Quamvis autem beneficium hoc, ut
etiam unum, & alterum ex suprà narratis,
potius adscribendum sit Matri divinæ, ta-
men non immerito dicitur, eam in grati-
am servi sui charissimi aperuisse beneficen-
tiæ suæ thesaurum.

Terti-

Tertius casus accidit cuidam personæ, optimæ mentis, ac conscientiæ bonæ, quæ molestissima plurima pati debebat ob fascinum, quod eousque, plurimis jam adhibitis medijs, dissolvi non poterat; quare tandem ad P. Paulum confugit, dum montes Dicœcœfis Lucensis lustrabat, ubi, cùm miseriæ suam hpmili confidentia ei aperwisset, ab ipso fuit animata, ad spem, & fiduciam suam in Deo ponendam, simulque ei dictum, imposterum fore securam à simili dæmonis infestatione: & fuit ab hac deinceps semper immunis, atque bene corpore, ac animo valens: quod beneficium pio suo liberatori grata adscripsit. Verum de his satis; nam P. Paulus, non tam admiratione, quam imitatione dignum proponere animus est; unde ad recensendas ejus virtutes, adeoque ad alterum librum progredimur.





VITÆ
R. P. PAULI
SEGNERI JUNIORIS
E Societate JEsu
MISSIONARI.

LIBER II.

De P. Pauli Virtutibus , ac Me-
thodo,& Fructu Missionum ejus.

C A P U T I.

*Charitas P. Pauli erga Deum , &
Christum JEsum Deum , ac Ho-
minem.*

Hucusque externa opera grandia,
quibus P. Paulus gloriam Dei , &
animatorum salutem , mirifice pro-
movit , fuere spectabilia redditis
modò machinæ interiores , à quibus pro-
dierunt stupendi illi effectus , sub aspectum
ponendæ sunt , scilicet virtutes ejus inter-
næ,

næ, quæ mirabilium earum operationum effectrices fuere, & in P. Paulo valde eminuerunt. Evidem, ut montes auriferi thesauros suos intra viscera terræ recondunt, ita vir Dei suas virtutes intra profundam animi demissionem abscondit: non tamen eas ita obtegere potuit, ut non aliqua earum indicia in aliorum oculos crebro incurserent, ex quibus longè plus intus laterè prudentissimè conjectaretur. Quia autem regina virtutum omnium charitas est, de ista primò agendum, atque monstrandum, quanto vir hic Apostolicus amore in Deum, & Iesum Christum Hominem - Deum, flagraverit.

Itaque in primis personæ plures, & maximæ auctoritatis, testatæ sunt, ipsum fuisse incensissimum amore Divino: certè Illustrissimus Dominus Falconcinius Aretinus Episcopus, in cuius palatio, ut suprà dictum, P. Paulus multis mensibus habitans, sacra Exercitia tradidit, de ipso rescripsit, quod ita fuerit in Dei amorem absorptus, ut ejus verba, ac opera, & tota vita, prodarent magnum illud divini amoris incendium, quo cor ejus ardebat. Reverendissima Abbatissa ad S. Justinam Lucæ Domina Maria Samminiata afferuit, eum suis in exhortationibus apparuisse Seraphini instar amore divino accensum, & cupiisse, ut eodem ardore omnes consumerentur; hinc

studiosè tradidisse plures modos, ac praxes
Deum amandi.

Persona alia scribit, eum tanto in De-
um amore arsisse, ut putaverit, fieri nulla-
tenus posse, ut non pariter homines om-
nes cum amarent: addit, eum suas allocu-
tiones priùs non finivisse, quām fuisse per-
suasus, quòd flamma charitatis divinæ ex-
orta sit in audientium cordibus: si quem
autem repererit igne illo cælesti ardente,
ità lætatum fuisse, quasi præ gaudio sui com-
pos non esset, atque dixisse, se aliud non
desiderare, quām, ut ametur ter optimus
DEUS.

Hic amor ipsum adegit, ut inter accu-
mulata negotia fuarum mīssionum tamen
studiosissimè Deo se per orationem uniret:
fanè jam sèpius memoratus Aretinus Anti-
stes affirmavit, eum non tantum magno
studio deditum fuisse orationi; sed fruitum
amabili cum Deo familiaritate, & verfa-
rum quasi in perpetua ejus præfentia, quam
frequentibus pijs aspirationibus, & jacula-
torijs precibus continuaverit: quin à mi-
tutina meditatione egressum sèpius vñsum
esse instar Seraphini ignitum.

Hinc durantibus etiam suis sacris expe-
ditionibus nunquam omisit, meditationi,
& examinibus, consuetum in Collegijs tem-
pus impendere, de quo ejus socij P. Xave-
rius Constantius, & P. Ignatius Römæus,
fidem fecerunt. Addi potest, eum insuper
sèpius

sæpius quæsivisse occasionem longioris secessus, in quo orationi se totum sacraret, qualis fuit; dum in eremum Camalduensem, aut in Alvernæ montes, aliquamdiu sese abscondit: quin singulis annis se multo tempore abdidit in domum tertiaræ probationis Florentiæ; ut orationi, qua se quam maximè indigere ajebat, vacaret: cùmque ultimo anno pluribus impedimentis à diuturniore ibi mœra excluderetur, amicè est questus, quod navi necdum reflecta deberet se mari committere, & aliorum pro se preces expetijt.

Non tamen charitas ejus interius tantum, & in solis contemplationibus stetit, sed in verba, & opera, quacunque via datur, prorupit: certè ipsius dicta, & scripta, vix aliud sonabant, quam divinum amorem. Hinc scripsit cuidam, se quidem velle tacere de alijs fortè molestis, dummodo liberâ sibi lingua liceat dicere: *Amens est, qui non amat Deum: qui non patitur pro Deo: qui Christum Dominum non imitantur in omnibus, & per omnia.* Hinc suis in literis toties iterabat, quin aliquando in epistolæ fronte ponebat, illud sibi solenne: *Gustus, seu beneplacitum Dei, & aliud nihil:* scilicet esse quærendum. Hinc, quamvis ardenti affectu ad Apostolicas missiones ferretur, tamen aperte est protestatus, quod, si magis Dei beneplacitum foret, statim e campo sit decessurus.

Ajebat, amorem divinum furem esse amabilem, qui omnibus etiam affectibus spoliaret, ut quis tandem dilecto suo dicere posset: *Quid volui super terram, nisi te Domine?* Ad Dominam Camillam Lemucciam scripsit, quidquid tandem contingueret, Deum semper esse amandum, & se velle ipsum cum ejus gratia semper amare; cum amabilissimus sit, etiam, dum se abscondit. Alteri personæ, quæ ipsi nunciaverat, amorem Dei in se augeri, respondit, fatendo, se esse obstrictum ob tam læta nova, quæ sibi fuerint magno solatio: optatque ulterius, ut tota consumatur tam sanctis ardoribus. Rursus alteri scripsit: ruminet tantum hoc verbum *Amor*: aut *Jesus mi!* & visuram, quantos effectus in suo corde sit producturum: ex quo Prælatus magnæ authoritatis, hæc referens, rectè conclusit, ex hoc patere, quantos motus amoris ruminatio similis in animo viri Dei excitaverit.

Huc spectat ardentissimus ille divina charitatis affectus, quem chartæ cuidam inscriptum reliquit, & quo sic Deum alloquitur. *Ah Domine mi! Evidem desiderare non debedo, ut paradisus non sit: nec debedo recusare dona à te submissa: attamen mihi revera res est oppido dura, quod non possim ulla in re tibi servire, quin statim ad sit utilitas mea: quod non possim tibi exhibere exiguum qualemque obsequium absque*

com-

compensatione. Nimium me arctat liberalitas tua. Non possum nec tenue osculum figere Crucifixo : non possum vel suspirium aliquod ad calum emittere : quin imò non possum abstinere blasphemij, ut non mihi statim promittas premium, atque mercedem. Sic coram Deo P. Paulus effundebat cor suum, atque monstrabat, quo pertingere posset amor Dei purissimus. Interim tamen ipse se incusabat, ceu nimis parcum in Deo amando ; unde alium, quem pro sua humilitate ajebat, longè melius nosse Deum amare, vehementer est obtestatus, ut sibi suggereret meditationem de amore Dei, quam in publicis Exercitijs propnere posset.

Nec minor fuit P. Pauli amor in Christum Dominum, Deum, & Hominem, quem (ut ait Eminentissimus Horatius Spada Cardinalis S. Onuphrij) tanto diligebat ardore, ut ad ipsum exhilarandum sufficeret, aliquem nominare, qui Christum amaret; nam tunc exultabat, ut alij solent, quando nova extra ordinem lata percipiunt. Ipsemet fatebatur suo amico, se nec verbum proferre, nec gressum facere, nisi prius de eo Crucifixum consuluisse. In literis, ad Dominam Bonviam datis, eam hortatur, ut Quadragesimæ tempore sibi imaginetur, se ad pedes Crucifixi hæc legere verba: *Ecce quomodo amatur.*

In charta quadam secreta, ejus manus
M 5 con-

conscripta, leguntur sequentia: *Animad-
verti ortum in me singularem aliquem de-
votionis affectum erga Christum Dominum
sequentibus ex rationibus.* 1. ob beneficium
predestinationis; quia spero, me esse prede-
stinatum ad gloriam, quam Jesus Christus
mihi emit sanguine suo, & quia non fuisset
gavisurus, nisi eam ille emisset. 2. ob be-
neficium confessionis; quia, et si sat facilis
sit actus contritionis, tamen aliquoties du-
bito, an in statu gratia sim: quid fieret,
si confessione carerem? praterquam, quod
originem bonorum desideriorum meorum, ut
mihi videtur, referre debeam ad plures
confessiones, praesertim generales, quas fe-
ci, tam in seculo, quam in religione: hoc
autem debedo meo Jesus. 3. ob beneficium
communionis, cui in se jam maximo Christus
addidit consolationes permagnas, quas mi-
hi indulxit, & quibus ego rependi injurias.
4. ob beneficium vita, passionis, ac mortis
ejus, cui nil dignum rependerem, et si to-
tum id paterer, quod omnes simul martyres
passi, & operarer, quod omnes Sancti sunt
operati.

Post aliqua dein interjecta sic scribit:
*Quanta mihi consolatio erit in hora mortis,
si aspiciendo Crucifixum dicere potero: Hic
fuit meus amor in vita?* Tum vero addit,
se animadvertisse, magnum ad actiones be-
ne peragendas stimulum fore, si perpen-
deret, quomodo Christus eas actiones

pere-

peregerit. e. g. si, dum difficile accidit, per horam genibus flexis orare, cogitet, Christum majore longè molestia orasse in horto, & per tres horas pependisse in cruce: si, dum contemptus aliquis imminet, cogitet, Christum latroni fuisse postpositum, & diffamatum, tanquam blasphemum, dæmoniacum &c.

Rogat tandem Deum, ut augeat sibi fiduciam, quam conceperit illis ex verbis, dulcissimum sibi solatum ferentibus: *Si ergo vos, cùm sitis mali, nòstis bona data dare filijs vestris, quanto magis Pater vester de celo dabit spiritum bonum petentibus se?* Non autem se solum, sed & alios, Christi Crucifixi exemplo ad omne bonum incitare solebat: sancè in Exercitijs spiritualibus, quæ hyeme, suam mortem antecedente, Lucæ in varijs monasterijs exposuit, in meditationibus omnibus maximè ursit Christi JEsu exempla: quibus etiam auditores st̄aviter, & efficaciter traxit.

Porro ejus devotio erga Christum Dominum, sub evcharisticis speciebus præsentem, non minus erat eximia. Erant ejus deliciae (ait Illustrissimus Falconcinius) cum Servatore ibi abscondito agere, & compatiebatur ijs tanquam miseris, qui vel cibi illius divini famem non sentiebant, vel ejus frequenter sumendi copiam non habebant: suadebat autem universis, SS. Sacramentum humiliter, & s̄ape invisere.

Quin meditabatur in lucem edere duos libellos, unum de cultu SS. Eucharistie, alterum de modo eam religiosè iovisendi in templis: at mors superveniens manum removit à tabula. Quandocunque autem de SS. Sacramento scribebat, aut loquebatur, satiari non poterat magnificandis excessibus charitatis divinæ, in illo mysterio nobis exhibitæ.

Hac charitate proposita Dominam Theresiam Bonvisiam ad frequenteim SS. Eucharistie visitationem est cohortatus, scribens ad eam, quod Christus in ara præsens sepius ab ipsa sit invisendus; eoquod hic ibi adsit, non quasi dormiens, aut sopore gravatus, sed tanquam amator, amore nostri incensus, & liquefactus. Privatim, ac publicè, cunctis suadebat, ut magna devotione se ad sacram communionem pararent, & frequenter ad eam accederent: alias etiam Deum eucharisticum crebro, & devotè inviserent: id quod magno persertim cum fructu persuasit Lucæ religiosis Virginibus in monasterio S. Justæ, quæ exinde cœperunt, & frequentius ad sacram mensam accedere, & Christum in SS. Eucharistia latentem crebriùs adorare.

Inviolabilis ipsi lex erat, insuper habitis omnibus viarum molestijs, defatigatiibus, negotiis, aut aliis quibuscunque obstaculis, quolibet die celebrare sacrum præmissa devota, & reverenti præparatio-

zie, ac recitatis priùs horis canonicis, præmitti consuetis : quamvis ab his dicendis eum excusarent graves personæ, & aliquando etiam Episcopus quidam, ob copiosos prorsus labores, qui vix momentum temporis vacuum ei concedebant ; unde (ut testis est ejus Pater Socius) de nocturna necessaria quiete sibi detrahebat spatium orandi, & se ad sacrum parandi, quod ob labores multiplicatos de die nancisci non poterat.

Non autem solummodo cultu interno profundissimo veneratus est evcharisticum Numen, sed etiam studio magno promovit ejusdem cultum externum ; unde curavit, ut, dum Venerabile Sacramentum proferebatur in publicum, aut reducebatur in templum (quod quovis in missionibus die fiebat) semper plures ardentibus candelis, aut facibus instructi, illud comitarentur. Ad sacram hanc pompam multum etiam contulit conopeum sanè pretiosum, atque magnificum, quod suppeditavit liberalissima pietas Dominæ Theresiae Bonvisiæ, saepius jam memoratae : ad cuius postea formam Serenissima Palatina Electrix aliud jussit simile fieri Patribus Missionariis, post aliquot annos Germaniam inferiorem, ac superiorem excolentibus.

Vicissim ab evcharistico Numine magnis gratiis ipse cumulabatur, & ab hac dape divina confortabatur vel maximè spiritus

ritus ejus ; quippe in sua ad Dominum Mascardum epistola asseruit, alium quendam abundare magnis supernis solatiis, se verò pauperem esse, sive iis egere: at mox quasi se corrigens addidit : *Quid volumus amplius; cùm Christum JEsum, SS. Sacramento contentum, habeamus in manibus?* Sanè evcharisticus panis ei fuit, non tantum ut panis Eliæ, ipsum confortans, sed quoque ut panis Gedeonis, instar gladii hostem infernalem debellans. Quin & hujus erga SS. Evcharistiam devotionis præmium aliquod temporarium, gloriæ æternæ superadditum fuerit, quòd, ut suprà capite 15. est dictum, eâdem pompa, qua Christus evcharisticus festo solenni Theophoriaræ per urbem est circumlatus, ad tumulum fuerit ipse deductus.

C A P U T II.

Devotio P. Pauli erga Beatissimam Virginem, & Innocentia Morum.

POst Deum- Hominem, cultu , & amore, nemo est dignior, quam ejus sanctissima Mater ; unde etiam P. Paulus istam , & quidem tenerrimè diligebat, & devotissimè venerabatur. Sanè , quicunque ipsi familiares fuere, ipsumque de B. Virgine differentem audierunt, uno ore

re affirmant, devotionem erga cali Reginam fuisse unum ex ornamentis præcipuis, quibus anima ejus splendebat. Sic Illustrissimus Falconcinius asserit, cor ejus amore tenerrimo in Matrem divinam fuisse affectum, adeo, ut illam matrem suam vocaret, & enixissime flagitaret, ab aliis ei commendari. Addit, hoc quemvis mox crediturum, ubi concionem ejus de hac gloriosissima Deiparente audiverit.

Et certè ista in concione totam semper inimi contentionem, & omnem amoris intensionem, Marianis laudibus summo studio impendere solitus est. Ista auditores efficacissime traxit ad diligendam hanc Dominam, avidissimeque fuit excepta, ac pluries quoque descripta, ut, dum postea telegeretur, denuo Marianos ignes accenderet: quæ res Orcum pessimè habuit; & hinc concionem illam, aut concitatis tempestatibus, aut editis clamoribus, seu enerzumenorum ululatibus, turbare conatus est. At P. Paulus ope Matris divinæ, & illas sedavit, & istos compescuit, ut alibi iam fuit narratum. Hæc concio etiam ultima fuit, qua suos labores, & vitam Apostolicam clausit.

Ulterius P. Franciscus Saracinellus, qui diu Florentiæ P. Paulo convixit, affirmat, quod ante oculos semper habuerit devotam aliquam Deiparæ imaginem, & de illa sermocinando in se monstraverit affectum extra-

extraordinarium: in aliis verò vehementem excitaverit motum. P. Romæus testatur, se anno 1707. à mense Martio usque ad Octobrem cum P. Paulo fuisse, partim Florentiaz, partim in missionibus: & ex ipso tunc eluxisse exempla tenerrimæ, & ferventissimæ devotionis erga B. Virginem: de hac ipsum sibi saepè locutum, de hac omni. sabbato dixisse ad populum: curasse insuper, ut hujus imagine, non tantum ornarentur vexilla, seu labara parochiarum, ad missiones peregrè advenientium, sed etiam portæ civitatum, & aliorum locorum.

Alij referunt, ipsum etiam integras communitates induxisse, ut peculiari ritu, ac solennitate, B. Virginem in peculiarem Patronam, ac Protectricem sibi deligerent: quam Marianam protectionem sibi præ alijs demereri urbs Pescennina in He-truria, singulari ardore, ac splendore, studuerit. Retulit quoque persona quædam religiosa, eum aliquando, dum de B. Virginis amore differeret, dixisse, quod habeat desiderium ingens eam videndi, & suum cor liquefiat ad ejus nomen duntaxat auditum, atque oculi lachrymis suffundantur: quodque spem habeat, ab ipsa suscipiendam in morte animam suam, atque ad Filii divini conspectum ducendam.

Non autem ejus devotio erga Virginem Matrem erat restricta ad certas preces, quas

quas quotidie in ejus honorem exolveret (quamvis nequitam istas negligeret) sed erat voluntas promptissima, ad ea omnia perficienda, quae cælorum Dominæ placata essent ; hinc magnâ industriâ conabatur ubique ejus devotionem, & quidem germanam, ac solidam promovere ; hinc pluribus suauit, atque persuasit, devotionem à floribus dictam, quæ aliud non est, quam certi actus variarum virtutum, ad honorem magnæ Matris exerciti, ac instae fasciculi florum, aut floride corollæ, ipsi oblati : quam devotionem præsertim induxit in jam saepius memoratum monasterium S. Justinæ.

Hinc etiam induxit quamplurimos alios, ut B. Virgini certam chartam offerrent, cui inscriperant vicia quadam, aut quosdam defectus, à quibus deinceps ablinere, vel actus quosdam virtutum, quos imposterum exercere, ad ejusdem Deiparen- tis honorem, secum decreverant ; & servabantur proposita talia eò religiosius, quo majori piaculo sibi quisque ducebat, falle- re promissionem, cælorum Dominæ factam, & insuper scripto firmatam : qua ratione sustulit plures abusus, & consuetudines pericolosas, lubricosque disparis sexus conventus, & similia ad malum illicia.

Hoc modo in missione Pominî habita quasi omnibus puellis persuasit, ut B. Virgini offerrent chirographum, in quo scri-

N

pserant,

pferant, se nunquam amplius, liberiūs, aut licentiūs, cùm procis acturas, nec talibus profanis amoriibus locum daturas: quæ chirographa insuper ornârunt elegantiibus tænijs, quas prius ab amasijs suis acceperant. Præ cæteris autem Matri divinæ placuerint illæ, ut vocantur, chartæ albæ, seu puræ, ita oblatæ, ut, quod Confessarius, aut Missionarius, iis inscripserit, offerentes ratum haberent: quo remedio plures à malis, & inveteratis habitibus, persanati fuerunt.

Vicissim autem B. Virgo hunc suum servum magnis cumulavit favoribus: & in primis plurimum ei auxiliij in missionibus attulit, adeò, ut ipsemet anno 1706. ad P. Oliverium scripserit, B. Virginis manum, id est, ejus opem, sensibiliter expeditionibus suis adesse, dispertiendo plures gratias insignes, mediante particula sacri ejus veli, quam, ut dictum, à Serenissimo Hetruriæ Duce acceperat. Et sanè per aquam, dicto sacro velo sacratam, conferabantur à Matre divina tot beneficia, ut quidam sacerdos, pluribus in expeditionibus viri Apostolici comes, non dubitaverit dicere, quamcunque ferè missiōnem suppeditare potuisse conscribendas tot gratias, ut aliquem tractatum explerent. Omissis aliis beneficium unicum exempli causâ hic ponitur. Dum P. Paulus in Hetruria oppidum (quod S. Cresci Itali vocant)

tant) lustraret, quidam graviter infirmus, ac ita debilis, ut nec ad sedendum in lecto se erigere posset, cum aquam membratam fiduciā magnā hausisset, ita sanatus est, ut mox alterō mane ad missionem, tribus saltē milliaribus distitam, posset pedes accedere, & communioni generali praesens adesse.

At præter aliis communes Deigenitri-
cis favores fuere P. Paulo peculiares, iisque permagni; non enim solum, ut ipse publica in concione Florentiae habita ab ea petierat, impetravit, ut sacra missione oc-
cupatus ē vita decederet, sed etiam, ut
ejus ultima concio de hujus ipsius Reginæ
calorum laudibus esset: insuper, ut dul-
cissimè à sensibus alienatus, in amabilis-
simæ hujus Matris amorem absorberetur:
id quod præsertim Sarzanæ evenit; nam,
ut quidam testis juratus afferuit, dum P.
Paulus in domo Dominæ Mariæ Franciscæ
Ferrarinæ cum aliis sociis suis pranderet,
& de B. Virgine instituisset colloquium,
subito hæsit immoblis, oculis ad cælum e-
rectis, & facie solito amoeniore: tum co-
mites ejus dixerunt, eum extasim pati: &
qua cum se collegisset, socii tanquam a-
liunde reversum salutaverunt: ipse verò
mox à mensa ad cubiculum suum con-
fugit.

Hic favor insignis reddit credibilem a-
guum, quem Illustrissimus Dominus Falcon-

cinius perscripsit, nempe P. Paulum à quādam persona (quæ divinis illustrationibus celebris ipsum B. Virginī commendaverat ardenti affectu) visum esse in ejusdem Delparentis amantissimo sinu, quæ ipsum strin-gebat dulcissimè, simūlque securum red-debat de sua materna protectione, in periculis omnibus, quæ sīnē ipsius ope supe-rare non posset. Eadem persona, dum missio Pratensis ferrebat, orationi inten-ta, improvisò incitari se sensit, ad preces pro P. Paulo fundendas: & hic visus est ipsi versari in evidenti mortis discrimine, quod tamen superveniens Mater divina sua ope discusserit. Et addit memoratus An-tistes, ipsum P. Paulum postea sibi fassum fuisse, quod tunc dubitaverit, an vivus posset evadere.

Præcipuum autem beneficium, in P. Paulum adhuc viventem, à cæli Regina col-latum, meritò censetur fuisse innocentia morum, & Angelica puritas, quam, dum vixit, semper retinuit: sanè jam sæpe ad-ductus Illustrissimus Aretinus Episcopus scri-bit, ipsum semper præsetulisse ingentem affectum ad puritatem, ita, ut ejus modus loquendi semper castigatissimus fuerit, e-riam, quando in concionibus, aut cate-cheticis instructionibus, de sexto præcepto agendum, & vitium ibi vetitum reprehendendum: quamvis ad hoc depellendum non semper fuerit opus loquelâ; cùm quan-doque

doque ab illò peccato retraxerit solo aspe-
ctu : sic in Monte Politiano ad quandam
personam , ex illo luto extrahendam, satis
fuit, eam à P. Paulo aspici , & vicissim i-
stum ab illâ.

Plures verò , teste Domino Thoma
Tognino sacerdote Lucensi , quando cum
P. Paulo agebant, ejus conversatione mox
trahebantur ad Deum , & accendebantur
in corde eorum affectus tenerimi erga il-
lam sanctitatem , quam omnis ejus vulcus,
& gestus spitatbat. Sed & Admodum Re-
verendus P. Ludovicus Maraccius, Congre-
gationis Matri Dei sacerdos, eum dilaudat
tanquam verum, ut ait, S. Ignatii filium, &
dignum Societatis Iesu alumnū, verūm-
que imitatorem puritatis , ac innocentiae
Sanctorum Aloysii, ac Stanislai. P. Alca-
nius Simius verò socius ejus affirmat, ipsum
plurimum delectatum fuisse, si videret in-
fantes , adhuc fasciis involutos, ob inno-
centiam eorum , propter quam summo
gaudio affici , ac sancta quadam invidia
tangi solitus erat ; quamvis non esset, cur
inviderer ; cùm ipsius innocentia, non ex
incapacitate peccandi , sed ex libera , ac
meritoria, omnis peccati fuga , originem
traheret, adeoque illam infantum multum
exuperaret.

Scitur quoque ex P. Romæo , ejus eti-
am socio , ac confessario , ipsum semper
utrum fuisse summa attentione , ut castita-

tam servaret purissimam; hinc ei maxima oculorum, ordinariè in terram demissorum, custodia, & gestuum omnium modestia compositissima: horror quoque cuiuslibet rei, vel à longè puritatis nitorem infuscare potentis; unde, cùm in oppido S. Gaudentii ab enato quodam tumore multum affligeretur, maluit tamen omnem doloris acerbitudinem perferre, quam chirurgi manum admittere, usque dum confessarius eus aliud jusserrit.

Quodsi per puritatem, ac innocentiam, quis intelligere velit immunitatem à gravi qualibet culpa, vixit P. Paulus sanè purus, & innocens, etsi in medio nationis prava occasione Apostolicarum expeditionum versari deberet, & exinde turpissima quæque in sacro tribunali audire. Certe P. Constantius, quo confessario pluribus annis, & ferè usque ad finem vitæ, est usus, afferuit, omnino se credere, quod innocentiam, in baptismō acceptam, uti religioni, ità etiam sepulchro intulerit. Addidit, se ab ipso discessisse Januario mense anni 1713. (qua scilicet mortuus est) & tunc à se relictum corpore, ac spiritu virginem: delicatissimæ conscientiæ illum fuisse: tribus, aut quatuor vicibus, quot septimanis confessione animum expiâsse, deque minutissimis quibusque defectibus se accusasse.

Idem quasi affirmavit P. Romæus, ad dens, uo tempore nullum omisisse diem, quo non

non confessionem perageret, si socius ejus adesset; cum tamen in illo nullus sit à se deprehensus motus passionis inordinatus, aut culpa venialis deliberata: sed econtra fuerit à se animadversum, ipsum esse Religiosum, regularum suarum observantissimum. Idem ferè dixerunt Patres Simius, ac Rota, aliquo tempore ipsis socij: idem Clerici sacerdtales, in missionibus comites. Quod autem valde mirandum, nunquam P. Paulo id contigit, quod alijs frequentissimè accidit: hoc est: familiaris, & diutinus cum ipso convictus, nunquam apud ullum imminuit maximam ejus aestimationem: quod clarum est signum, non esse deprehensos alicujus momenti defectus, neque in operibus, neque in verbis, & praesertim non in istis, in quibus tamen, si quis non offendat, docente S. Jacobo perfectus est vir.

Quippe animo suo intimè impresserat, quod sepe dicebat: *Linguam meam, que debet impendi animabus ad Christum trahendis, nolo commaculare verbis charitati contrarijs.* Ut autem linguam, ità desideria quævis minus recte ordinata, compescere novit, etiam in minore adhuc, & juvenili ætate: id patuit, dum aliquando tractaret quoddam suum negotium; etsi enim hoc ad exitum desideratum perducere valde optaret, nunquam tamen voluit uti medijs, ab alio quodam suggestis; eoquod non om-

ni rigori evangelicæ perfectionis contentioea essent: & sicut, quia illa adhibere non voluit, res optato exitu curvit. Seilicet præ omnibus ipse curabat, ut adimpleretur beneplacitum, seu, ut loqui solebat, gustus Dei: econtra omnis umbra offenditæ Dei evitaretur.

Insuper ad fugam omnis peccati efficacissimè eum extimulabat amor proximi, & desiderium promovendi ipsius salutem; quippe meritò sibi habebat persuasum, pa-
xum boni se effecturum in alijs, si per suas culpas impediret arctiorem sui cum Christo Domino conjunctionem: & aliquando de-
bet, ac piè discurrens de illo Christi Domi-
ni dicto *Ioan. 15. v. 4. Palmer non potest
ferre fructum à semetipso, nisi manserit in
vite:* non sine suo sensu intimo dixit, nos
nihil boni effecturos in proximo, si id Deus
non fecerit. Deum autem non multum in
nobis, aut nobiscum facturum, si nos non
multum faciamus pro ipso. Hinc, dumli-
teris ad Dominum Mascardum Sarzanensem
Canonicum datis, ejus pro se preces ex-
poscit, sic scribit: *Obsecro, non me deserat:
sed cogitet, quod à mea causa pendent cause
tot millionum animarum, que, si ego sanctus
non sim, fructus, & utilitatem
carebunt.*



CA-

C A P U T . III.

*Paupertas P. Pauli, atque à Ter-
rennis Avulſio, & econtra Fidu-
cia in Deum.*

UT h̄c non repetantur, quæ jam sunt
l. s. c. s. relata, de factis à P. Paulo
rigidis circa temporalium omnium
usum decretis, iisque deinceps accurate
servatis, modò solum agetur de ejus pauper-
tate, etiam, dum missionibus occuparetur,
valde severa. Sanè videbatur tunc non tan-
tum commodorum suorum, sed omnino
sui oblitus, ità, ut posset videri de neces-
saria sibi sustentatione non cogitare. P. La-
na socius ejus affirmat, ejus utensilia fuisse
semper alijs deteriora, ejusque vestes de-
tritas, ac laceras, ità, ut, quantâ curâ so-
cijs suis de necessarijs omnibus provideret,
tautâ incuriâ se negligeret.

P. Romæus alio tempore ipsius socius
ait, victimum, ac vestitum ipsius, fuisse ve-
rissimè pauperem, adeò, ut de modico
hordeo, quo valetudo ejus sàpe egebat, si-
bi in futurum prospicere nunquam volue-
rit: sed providentiaz divinaz se se commis-
erit, singulis vicibus solùm id acceptando,
quod præsenti necessitatì sufficeret. Simi-
liter loquitur P. Constantius, ejus annis plu-
ribus socius, ac addit, ipsum de eo, quod

Serenissimus Dux, durantibus per Hetruriam expeditionibus, ei juss erat dari, ne teruncium quidem privatim pro se expendisse, sed totum quantum impendisse in usum missionum.

Maxime autem animus ejus ab omnibus terrenis avulsus tunc patuit, quando dono oblatas, & vix non obtrusas pecunias, ad liberum ejus usum, invictâ constantiâ repudiavit, cuius rei quamplurimi testes, & inter hos Eminentissimus Horatius Spada, possunt adduci: fuitque ille hoc in suo proposito tam obfirmatus, ut nec ab Episcopis, quorum Diceceses excoluerat, quidquam acciperet, inquiens, ministerio suo hoc expediens esse; eoquod, quo magis esset egenum, eo magis Apostolicum foret; hinc sacerdotibus saecularibus, suis in missione comitibus, inculcabit ardenter, ut non quærerent aliud, quam gloriam Dei, & animalium salutem, nec expectarent ulla donaria, sed ad cælos erigerent animum, & manus, donis omnibus vacuas.

Sæpe recusavit fundationem suæ missionis, & maluit incertis eleemosinis vivere: neque admittere voluit pensionem trecentorum scutorum annuatim solvendam, quamdiu ipse, ac ejus socius viverent; eam enim pecuniæ summam Dominus quidam, per codicillum testamento adjectum, ipsi juss erat solvi: imò jam ipse adhuc vivens constituerat solvere: at renuit Pater Paulus

Paulus, dicendo, Deum missione suæ alijs viis necessaria subministraturum. In re-
gione Lunisiana non admisit alia scuta du-
centa, in singulos annos pendenda. Remisit
vice alia syngrapham, qua ipsi plusquam
trecenta scuta assignabantur. Pari modo
admittere noluit complures pecunias alias,
vel etiam res missioni aliter utiles, ipsi ob-
latas: nec poterat ulla ratione hæc ejus ab-
stinentia vinci; quin ultima in missione Se-
nogallensi, cùm Pontifex Summus Clemens
XI. jussisset, ei liberaliter subministrari pe-
cuniā, quam postularent expensæ tunc
faciendæ, ille cum P. Oliverio cognato
Pontificis egit, ut hoc mandatum revo-
caretur.

Rursus, postquam P. Paulus magnum
præstitisset obsequium Illustrissimo Domi-
no Marchioni Riccardio, reducta in ejus
domum quiete, & confecto negotio, quod
tota urbs desperaverat confici posse, hic
Dominus, supremus aulæ Florentinæ Præ-
fetus, larga ei munera obtulit, & multis,
ut acciperet, ursit: sed vir Apostolicus con-
stantiâ invictâ negavit, ea à se acceptanda:
quo facto prædictus Dominus itâ fuit com-
motus, ut postea in singulos annos centum
scuta pro missionibus suppeditârit: quin,
ut missiones suis in feudis, ac ditionibus,
deinceps instituerentur, perpetuos sum-
ptus legavit. Verum non sanctum majora
talia dona, sed etiam minima, à Monialibus
obla-

magnificum, ac pretiosum, sub quo SS. Sacramentum majore cum pompa circumferretur, cuius jam hoc libro c. 1. mentio facta est. Curavit insuper fieri Hierothecam argenteam, & pallium sacerdotale Damascena ex tela, & tænijs aureis copiosè ornatum. Addidit argenteum calicem, ac duas sic dictas casulas: quas tamen casulas unà cum calice P. Paulus non acceptavit; eoque existimaret, decere Missionarios Apostolicos etiam sacra supellectile paupere uti.

Paupertas tam nuda, & tam ab omnibus terrenis avulsa, esse non potuit sine grandi erga providentiam divinam fiducia: & revera in P. Paulo sine ista non fuit; quippe ipse erat omnino persuasum, nunquam se destituendam protectione divina, sed potius semper juvandum ab amabilissima Dei benignitate: certè ab hac confidebat, & promovendum spirituale proximi bonum, & conservandam suam, ac sociorum sanitatem, & suppeditandos necessarios sumptus. Quare non tantum nunquam aliquid pro missionibus futuris comparxit, sed & recusavit recipere pro præsentibus. Hinc monenti, ut in futurum sibi prospereret; cum non semper victuri sint illi, qui nunc necessaria subministrarent, repuit repetendo: *DEus providebit: DEus providebit: & quamvis ei repeteretur, posse utique recipi similia dona, si offerrentur à per-*

à personis in dignitate constitutis, & optimo zelo, ac spontanea liberalitate permotis, ille tamen voluit immobiliter nisi benignitate providentissimi Numinis.

Et sanè expertus est nunquam se derelictum; unde etiam non solebat esse sollicitus de necessarijs ad suam, suorumque sustentationem, memor, scire Patrem caelestem, quibus ejus servi indigeant, & quare ratione ipse subveniat; hinc, ut ait P. Constantius, semper in ore habebat: *Gramus nos ut bonos servos DEi, & eleemosina non deficient.* Ipsemet etiam anno 1709. 20. Dec. Lucā ad P. Oliverium scripsit, multas sibi oblatas esse missiones, & postea addidit: *Reverentia vestra non credit, quod marsupium hoc in negotio prae oculis habeam: certe id non attenderem; quia magnam haberem fiduciam, quod Dominus ille, qui pro his animabus tantum effudit sanguinis, non sine ingenti dolore, ex sacratissimis manibus suis, etiam ex iisdem profunderet aurum, quod ei nullo dolore, vel labore staret.*

Aliâ epistolâ ibidem data 21. Junij 1711. eidem P. Oliverio significavit, offerri sibi Diceceses integras excolendas, nec pecunias sibi deficere: remisisse se paucos ante dies scuta ducenta; quamvis ea secretò potuisset accipere; sed doceri se experientia, quod, quo plura intentione bona recuset, eo plura sibi Deus submittat.

tat. Rursum in epistola alia sic inquit: *DEus heri, & hodie: qui huicunque sacris missionibus adstitit, semper assistet, semper, semper eas proteget.*

Nec in necessitatibus proprijs tantum, sed etiam in alienis expertus est, fiduciam suam in DEum minimè fuisse frustratam: certè Prati, Hetruriæ urbe, erigere cœpit domicilium periclitantibus puellis recipiendis destinatum: at messis præcedente aspertimâ hyeme erat destruxta: oleo quoque cum olivis eodem frigore perditz, & annonæ caritas ingens, atque undique magnæ miseriæ. Interim tamen vir Dei, bonitate providentissimi Nutrinis fatus, congregavit viginti sex tales puellas: & his nunquam defuit benignitas cæli, sed congrua alimenta suppeditavit, ac tandem redditibus sufficientibus ea domus est stabilita.

Hæc fiducia ingens, ut ait P. Lans, reddidit P. Paulum in periculis quibusque interritum: hæc effecit, ut inter varias persecutions, oblocutiones, atque calumnias hominum, quin etiam inter omnes in se irruentes furias dæmonum, steterit semper animo impavido, ac imperturbabili, & sui securi, saepe rememorans illud Davidis psal. 26. v. 3. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversum me pralium, in hoc ego sperabo:* quin etiam saepius repetens: *DE-*

us nunquam me deseruit, nec etiam nunc
me deseret. Nec alio medio, quam fidu-
ciâ suâ in Deum, & ejus SS. Matrem, ef-
ficacius compescuit pluvias, tempestates,
ventorum turbines, atque procellas, exer-
citationibus sacris infestas; & hinc ob mi-
nas, aut timorem similium terriculorum;
nunquam intermisit sacras vllas functio-
nes.

Pariter, si quandoque templâ in pagis
extructâ multitudinem accedentium ad ge-
neralem communionem non caperent;
adèoque grandiores quasi Ecclesiæ in cam-
pis ædificari deberent, ligna autem, ac
alia plurima deessent, atque ad ipsum socio-
rum quidam recurreret, defectum rerum
omnium indicans, & modicam spem rei
perficiendæ præseferens, respondere sole-
bat: *Ipsè angusto est corde: confidat in Deo;*
& videbit: nempe hunc de omnibus provi-
surum: & sane afferit Dominus Riccius,
mox visas esse personas plures, etiam remo-
tis ex locis advenientes, quæ sua deferrent
obsequia, & omnia illa, quæ ædificijs istis
struendis necessaria erant.

Plurimis etiam alijs experimentis mani-
festa est reddita peculiaris quædam, ac sin-
gulariter benigna, erga ipsum providentia
Dei, quorum enarratio nimis longam ex-
hiberet historiam: sufficiat dicere, ipsum
met directori conscientiæ sive fuisse con-
fessum, quod Deus hanc suam erga ipsum

O

fidi-

fiduciam tot gratijs sit remuneratus, & coactus fuerit dicere: *Domine nil amplius, nil amplius: jam est nimium: nil amplius.*

Hanc fiduciam in optimum Deum studebat quoque excitare, imò augere in alijs, pictatis, ac virtutis studiosis, qui conscientiam suam ipsi dirigendam crediderant; hos enim, tum oretenus, tum literis scriptis, graviter adhortabatur, ut pusillanimatem, ac diffidentiam omnem, tanquam noxiā pestem, à se arcerent; hinc Domini Bonifacij scripsit, quod, sicut yiri sancti eo magis confidebant in Deo, quo minus temporalibus subsidijs erant instructi, sic nos quoque majorem fiduciam debeamus habere in Deo, quo minus fuerimus bonis spiritualibus prædicti; nam, et si his abundaremus, tamen in ijs minime spem nostram collocare possemus.

Quare (addidit) si animus noster pusillus nobis quasi obijciat, nos boni prorsus nihil habere, nec ad quidquam utiles esse. ei respondeamus, nos in Domino IESU Salvatore nostro confidere, qui, cum tanta pro nobis sit passus, datus sit etiam gratiam, ipsum sequendi, ac imitandi. Dicamus insuper, Christi vulnera, & merita esse nostra, utpote ab ipso nobis donata, in quibus speremus, quod aliquando tori quanti simus ipsius futuri. Econtra nolebat, fiduciam suam collocare in humanis subsidijs, cuius rei insigne exemplum supra l. 1. c. 8. fuit

Magnanimitas, Prudentia, Humilitas. 211

fuit allatum , & aliud suppeditant literæ, ad Dominum Mascardum Sarzanensem Canonicum datæ , in quibus proficitur , se nolle humanis adminiculis uti, sed omnem spem suam in solo Christo JESU positam velle.

C A P U T IV.

Magnanimitas, Prudentia, ac Humilitas P. Pauli.

MAgno prorsus animo P. Paulum fuisse, vel ex eo sat constat, quod per plures annos missionibus sacris praefuerit, easque inter mille difficultates ad finem, summa cum omnium utilitate, & non minore fama, perduxerit: id quod sine magna constantia, ac intrepido corde, nimè perfici potuit: & sancte ubique invictum mentis robur ostendit. Seposuit in primis omnes humanos respectus, atque neglexit omnes pravas oblocutiones, jocos insolitos, calumnias, & persecuciones, quibus variè impetebatur, nec unquam tali aliqua adversitate, à bene cœptis in salutem animarum, se dimoveri est passus: & vicit generosus ejus animus, quod alij invincibile existimabant.

Minùs cedebat injurijs temporum, aut tempestatum; quippe teste R. P. Thoma

Capeccio, Rectoꝝ Domus tertiaz probatiois Florentiae, nunquam ob pluvias, vel intemperiem aëris, differebat suam ad missiones profectionem, sed die præfixo eam mox inchoabat: quin imò nec periculis maris absterrerí se patiebatur à navigatione priùs decreta. Sic, dum Genuā per mare in Hetruriam esset tendendum, et si hoc valde intumuisset, & ipse maritimum iter aliàs multū timeret, tamen metu suo insuperhabito, destinata die navem concendit. Erat nempe (ut ait Eminentissimus Spada, jam sæpe adductus) singularis P. Pauli constantia, ac adversitatibus cunctis superior: & quando improvisò videbatur immovere, aut turbo ventosus, aut pluvia impetuosa, & populus jam fugam parabat, retinebat is istum sua voce, ac auctoritate pluviæ autem suspendebantur, & nubes brevī dissipabantur.

Sæpius accidit, ut maturino tempore, quando ad solitas functiones esset pergendum, subitò ingrueret importuna tempestas, ventis, ac pluvijs horrida: tum verò P. Paulus est solitus, se in cubiculum suum recipere, absque dubio orationem facturus, ac paulo post ex eo iterum egredi, & præsentibus dicere, esse eundum: dumque ire inciperent, cælum serenam faciem induit: qua in re præsertim in pagò Ferocium dicto quid memorabile contigit. Dum ibi quadam die concionem haberet, subitò deoſa

densa pluvia cœpit delabi, & populus circumspicere fugam: tūm vir Dei jussit omnes persistere: & ne reponere possent, ipsum velo expanso contra pluvias rectum, esse extra periculām, insuper jussit, sibi mensulam quandam sub aperto cælo locari, quam statim conscendit, & in ea sermonem suum est prosecutus, obstupescientibus omnibus, ad mox secutam pluviatum cessationem.

Hæc magnanimitas ita Numinis placuit, ut non tantum elementorum vim inhiberet, sed alia quoque pericula clemens averteret. Sic aliquando, dum aliqui gladijs stictis in se incurrerent; ipse in medium illorum irrupit, & illæsus pacem composuit. Sic, dum plures ei fuaderent, ut missiones quasdam differret, usque dum peracta vindemia foret; eoquod esset periculum, ne à concurrentibus plurimis adversis vineæ grave damnum paterentur, ille monentibus non acquievit, afferens, se experientiâ dōctum, vineas nunquam magis esse securas, quam tempore missionis: & sanè, quamvis à mense Augusto usque ad Octobrem sacras expeditiones prosequeretur, in regione vineis consita, à decem, aut duodecim millibus hominum, nec unus botrus fuit abréptus.

Neutram tamen hæc animi magnitudo fuit imprudens quædam temeritas, sed fortitudo, ad omnes prudentiæ leges exactæ; quippe elucebat hæc virtus ex omnibus

nibus actionibus ejus: certè Eminentissimus Lucensis Episcopus non poterat, ut ait, eam satis mirari: & ab alijs quoque eadem summè extollitur: ac apertissimè patuit, in prudentissima directione tot missionum, de qua plura dicentur inferius: item in exigua animarum ad perfectionem manuductione, cuius etiam infrà copiosior mentio fiet. Nunquam aliquid decernebat ex natura, aut passionis impetu inordinato, sed ex rationibus, maturo, atque tranquillo animo priùs perpensis; unde etiam, quando videri poterant media, ab ipso non sat prudenter electa, tamen optatum ad finem pertingebant: & hinc creditum est, ipsum altiori lumine regi; namque de agendis priùs consulebat Deum, & cum primū decreta exequebatur.

Verū neque facile quidquam statuebat, non adhibitis priùs in consilium comitibus suis: & si quis ex reverentia fors non auderet, quod sentiret, exponere, eosque urgebat, donec is mentem suam exprimeret. Neque difficilis erat in mutanda sua sententia, ut alijs se conformaret: quodsi tamen contingret, ut gravi de causa non judicaret, alienam opinionem esse sequendam, non exequebatur oppositum, nisi priùs expositis rationibus suis satisficeret illis, à quibus dissentiebat. Sed & in alijs rebus præferebat summam quandam docilitatem, adeò, ut circa materias paulo diffi-

difficiliores, de quibus habenda ipsi erant
concessiones, ab alijs consilium peteret.

Componebat quandoque varias instruc-
tiones, populo distribuendas: at eas prius
Patribus alijs offerebat censendas, subj-
ciendo intellectum suum illorum iudicio:
&, cum aliquando cuidam visa fuisset que-
dam ejus sententia aliquantum justo seve-
rior, P. Paulus mox acquievit censuræ,
mutavique opinionem: id quod etiam alijs
in occasionibus fecit, etiamsi personæ, que
ab ipso diversa sentirent, essent ipso longè
inferiores, tam quoad ingenium, & scien-
tiæ, quam quoad ætatem, atque pru-
dentiam: que res quam difficilis alijs ac-
cidat humanæ superbiæ, frequens expe-
riencia docet.

At hoc ipsum elati animi vitium lon-
gissimè erat remotum à viro Dei, qui quam
optimè cum Davide poterat dicere: *Domi-
ne non est exaltatum cor meum, neque elati
sunt oculi mei: neque ambulavi in magnis:
neque in mirabilibus super me. Psal. 130. v. 1.*
Certè per omnem suam vitam, præfertim
religiosam, magno studio profundæ humili-
tati se dedit, & in tertio suæ probatio-
nis anno firmissimum propositum scripto
concepit, quo ad constantem praxin hujus
virtutis se se adstrinxit, appositis gravissimis
rationibus, quibus animam suum hac in-
te obfirmavit. In primis de se prorsus de-
mississime sensit, immò Deo gratias egit, quod,

ut aiebat, se omnino miserum, & contemptibilem fecerit; unde in quibusdam suis literis scripsit, se aliquando patruum suum, P. Paulum Segneri seniorem, valde felicem existimasse; coquod insignibus ad suum officium talentis praeditus fuerit: at nunc, dum Crucifixum ad fidei lumen aspiceret, agnoscere majorem Dei in se favorem; coquod, dum corpore, & animo, tam misericordia sit, nec ullis talentis, aut ulla habilitate, ad munus aliquod polleat, insuper sibi, ac alijs molestus, & gravis sit, melius referat vitam Christi Domini ignobilem, neque contemptram. Sane, qui ei diu eius conixerunt, uno ore affirmant, cum planè fuisse virum humillimum, nec factis se admirari potuisse in eo tantam ad omnia suenma capacitem, ac habilitatem, cum tanta demissione: tantam aliorum de ejus sanctitate, zelo, ac alijs dotibus, existimationem, cum tanta sui ipsius vilipensione conjunctam.

Et in primis nullam unquam inanem gloriam suis functionibus, in omnium oculos tam splendidè incurrentibus, vel à longè quæsivit: sed ab alijs quasi obtrusum, fortissime rejecit: nunquam letari est visus singularis reverentiae maxime; quaz ipse à proceribus, & plebeis, promissione exhibebatur, dum coram eo genua flecterent, ac sibi benedici rogarent; dum manus, vel vestes oscularerentur, saeculum, proclamarerent, aut

sunt alia similia ficerent : sed, ut ait Eminentissimus Spada, ad talia quasi insensibilis fuit; ac si ad ipsum non attinerent. Quidquid autem inter medios populi plausus magni operabatur, id totum quantum Deo attribuebat, vel comitibus suis, aut pro se orantibus, aut alio modo quocunque operem ferentibus.

Sic cuidam ex Patribus Societatis, qui ipse per literas gratulabatur fructus, ex quadam missione relatós, rescripsit, debuisse eum potius gratulari Patri Socio suo, ac attribuere isti, quidquid boni esset effectum ; cum hic Deo cooperante illa efficerit. Sic anno 1711. 16. Januarii scripsit Domino Mascardo, in die extremi judicii sibi ab aliis eripienda plurima bona, quæ putaverit se praestitisse, dum interim Deus, illorum orationibus motus, ea fuerit operatus. Subjungit autem : *Sed quidquid sit, dummodo glorificetur amabilissimus Deus.* Sic alii dixit, quando Deus fructus missionum nunc factos in altera vita sit divisus inter collaborantes, minimam partem sibi adjudicandam. Sic etiam felicem missionis Florentinæ successum nullatenus suo zelo, sed peculiari gratiæ Dei adscripsit, addens, manibus posse palpari, præcipuum medium convertendi mortales non esse concionem, aut humanam industriam, sed orationem ad Deum effusam, ut ipse hominum corda emolliat.

Testantur insuper P. Xaverius Constantius, & Dominus Franciscus de Rubeis, multis annis P. Paulo familiares, se nunquam audivisse ab eo vel unicum verbum, in propriam laudem prolatum. Testatur quoque P. Franciscus Saracinelus, qui ei diu convixit, ipsum rarissime de missionibus suis fuisse locutum, & tunc quoque semper moderatissime. Quando autem à Superioribus de successu expeditionum suarum fuit rogatus, vix aliud solebat rescribere, quam Deum benedicere laboribus suis, & sociorum: quia teste P. Ascanio Simio fecerat propositum rigorosissimum, non loquendi de missionibus, aut functionibus suis (si scilicet nulla urgeret necessitas) ipsique displicebat summopere, siqui eo presente de iis sermonem inciperent; ajebat enim, gloriam inanem plurimum documenti, aut impedimenti afferre, ne missiones Apostolicæ fructum ferant.

Unde nunquam consensit, si quando aliqui de missionum fructu scribere, & minus, si typis dare aliquid vellent: solebatque similia agitantibus hæc verba obijcere: *Facite, & non dicite: cùmque aliquando casu in manus ei venisset cantilena quedam Italica, in laudem missionum composita, eam mox laceravit dicendo: Quid hæc faciunt iste nugas?* Cùm autem quispiam ex ejus sociis ipsi narrasset, quasi per iocum, atque ridendo, fœminam in partu graviter pericli-

periclitantem , applicato ipsius inducio feliciter una cum prole fuisse servatam , totus quantus rubore suffusus , & intimo corde accensus , illi respondit , quod , si deinceps comitari se velit , tales ineptias narrare omitteret . Rursus cum sacerdos (de quo *I. s. c. 18.*) per applicatam sibi spinream coronam , quam P. Paulus aliquando gestaverat , gravissimo capitis dolore liberatus fuisset , & hanc suam sanationem cuidam illius in missionibus comiti prescripsisset , atque hic epistolam viro Dei monstrasset , hic eam in mille frusta dilaceravit , atque in terram projecit .

Uc autem P. Paulus sibi , ac laboribus suis , nullo modo attribuebat laudes , & fructus , ex sacris expeditionibus suis collectos , ita econtra sibi , ac suis peccatis adscribebat , quando res non ad votum fluabant : qui demissi animi sensus ex ejus epistolis , pluribusque aliis scriptis , nimium quantum elucet . Hinc toties rogavit , pro se fieri preces , tum , ne sua peccata auxilium Dei a se avertant , tum , ut ipsem ex iisdem peccatis eruatur . Sic quendam oravit , ut , cum charitate sit plenus , pro se Deum precetur , ut bonis operibus compensare possit noxas prius admissas : utque liberetur a viciis , maximè , prout ait , a superbia , ob quam timeat perdere sortem felicem , ad quam ipsum destinaverit Deus .

Allias

Aliás scripsit, se semper pejorem evadere, nee sibi inesse etiam modicam patientiam, sed plenum se esse vanitate, ac subtilli hypocrisi; nec aliud boni in se superesse, quam desiderium parvum, quibusvis mediis procurandi beneplacitum Dei. Rursum eoram alio etiam per literas se accusavit, de multa impatientia, superbia, hypocrisi, murmuratione de aliis, ineptitudine ad meditandum, & similibus vitiis. Alteri cuidam post indicatas varias suas afflictiones significavit, se grandi perturbatione interna obrutum esse; coquod credat, has suas adversitates à Deo tuisse permisas in poenam cujusdam sui peccati, quo se jam sancto ministerio indignum reddiderit, & quod tamen subterfugiat noticiam suam: quarevis autem sibi confessarius dicat, ne sit sollicitus, sed potius animum tranquillum conservet, manere tamen intimè sibi infixam cogitationem, quod Deus sit sibi iratus.

Eadem ex humiliate, cum jam plures missiones instituisset, & quidem maximo plausu, tamen non tantum se credebat inopatum ad instruendos Missionarios alios, sed ipse cupiebat vel maximè instrui; quare, cum audisset, editum esse quendam libellum circa missiones, à P. Oliverio epistola supplici petiit, eum sibi transmitti, antequam de novo in campum pròdigaret, ut ex eo opportune aliquid disceret: quin

quin imo à seculari quodam, qui, utpote minùs expertus, varia in missionibus emendanda existimabat, de iis admonitus, licet longo ex usu absque comparatione ulla melius nō esset, quid conveniens foret, tam humillimas monitori illi gratias egit, addens, salubribus admonitionibus se vel maximè indigere.

Quod autem de se sentiebat interius, id exterius quoque præferebat. Erga Patrem socium suum neutquam se gereret ut superiorem, quamvis esset, sed ad summum ut æqualem; unde cuidam juveni Patri, futuro, ut credebatur, suo socio, scripsit, quod si comitari ipsum in scris excursionibus vellet, non se gereret ut inferior, sed ut frater, si non ut natum major, talcem ut gemellus: quin imò subiiciebat se, quantum decenter poterat Patri socio suo: & non huic solum, sed & Dominis secularibus Clericis suis comitiibus, atque etiam aliis, tum ratione ætatis, tum ratione coconditionis, ipso multum inferioribus.

Vestitus ipsius erat pauper, ac tenuis: sermo verecundus, moderatus, & humilis: facilitas cedendi aliis ingens: reverentia erga alios, non tantum Episcopos, sed simplices etiam Parochos, planè submissa; quippe contentus non erat, verbis tantum obsequiosis erga omnes profiteri subjectionem: sed etiam prouidebat in genua,

nus , & manus osculabatur , quandoque etiam pedes : insuper humillimè benedictionem eorum efflagitabat : & hoc præstebat tanta humilitate , ac sinceritate , etiam in actiones externas redundante , ut omnes plurimùm ædificarentur , ipsūmque propterea extraordinaria veneratione prosequerentur .

Quamvis autem monitus esset , ut à similibus manuum osculis abstineret , ne malum quoddam sibi accenseret , præsertim in regione Grafagnanensi , in qua ob cruditatem vini , & panis , ex castaneorum farina confecti , asperitatem homines pluri-mi impetigine quadam laborant : ille tamen neglexit hoc qualemunque discrimen , a-jens , se forte tam felici dignum non esse : & hinc non destitit à sibi solitis exercitiis humilitatis : quæ tamen ipsi cardo steterunt ; namque ex frequenti contactu manuum exulceratarum & ipse impetiginem , seu scabiem quandam contraxit , quæ diuturnæ patientiæ materiam præbuit .

Sed nec inferioribus tantum hæc reverentia , ac submissionis , maxima signa exhibuit , verùm etiam adversariis , contemp-toribus , ac persecutoribus suis , quorum injuriosæ dicacitati , atque contemptui , magnum honorem redhibuit . Sanè , dum presbyter quidam , nescio qua de causæ , concitatus ad iram , in ipsum verbis oppido crudis , & ignominiosis invehiceretur ,

&

& circumstantes infemerent, ferentes ægerrimè, ab impotenti lingua virum tantum tam male haberi, solus humillimus Pater non se ostendit offendit, sed è contrario provolutus in genua, veniam, si qua in re ipsam offendisset, supplex rogavit.

Ex eadem animi demissione fugiebat missiones in urbibus paulò celebrioribus, ut posset cum Christo Domino dicere: *E-vangelizare pauperibus misit me. Luc. 4. v. 43.* Ex eadem virtute noluit familiaritatem contrahere cum viris Principibus, quamvis hi omnem ipsi occasionem præberent: imò, cùm Serenissimus Mutinensis, &, quæ eadem in aula degebat, Serenissima Hannoveriana, commercium litterarum cum ipso instituissent, id prosequi noluit: &, cùm à Serenissimo Magno Duce Hetruriaz clementissimè jussus fuisset, sepius ad se invisere, non nisi valde raro accessit, & tunc quoque in angulo quodam aulæ exterioris est præstolatus, donec advocaretur; quamvis, si libuisset, mox intrare licuisset; quippe Serenissimo ita erat acceptus, ut ipsem ei sellam ad secum sedendum, & colloquendum aptaverit. Certè aversabatur palatia Principum: &, cùm aliquando per aliquot dies in eorum aliquo debuisset persistere, morbo corruptus, & frequenti vomitu est infestatus. ita nempe in P. Paulo humilitas quasi in naturam transferat.

CAP,

C A P U T . V.

*Austeritas Vitæ, & Patientia
P. Pauli.*

EQuidem austoritas vitæ in P. Paulo juxta morem Sanctorum fuit maximam partem occulta; tamen vel ea sola illius pars, quæ in aliorum oculos necessariò incurrere debuit, tanta fuit, ut sacerdotalis quidam Clericus scripsicerit, eum non nisi prodigiosè vitam potuisse protrahere. Jam à suo in tyrocinium ingressa cœpit se pœnitentiae operibus dederet; & hinc eo jam tempore statuit, monere Superiores, ut sibi largam se cruciandi facultatem concederent; sibi enim totam vitam crucifixam esse debere, & totam exigendam esse in faciendis dignis pœnitentia fructibus. Et primis quidem annis religiosis Superiores ei ob corporis debilitatem tantum, quantum desiderabat, non indulserunt: attamen, quod concesserunt, non modicum fuit: & hoc ipse perquam studiosè est executus.

Postea vero obtenta ampliore licentiâ erga se rigidissimus fuit, adeo, ut Illustrissimus Dominus Falconcinius ejus præproperam mortem rigori vitæ adscribendam censuerit. Parsimonia cibi in eo maxima fuit, nec escis, nisi obviis, & vilioribus usus est: &, si quid delicatius ei submit-

submitteretur, remittebat modestè, prætexens, voci noxiū esse. Sic Sarzana apud nobilem Dominam Franciscam Ferrinam aliud non admisit, quām jūs quodam, aut offalē, cum modico cibō, ac pauculis fructibus. Alibi, cūm paulo laetior cœna contra suam voluntatem sp̄s esset parata, inde nihil accepit, quām simplicem lacrycam cum modico caseo: nec potuit dimoveri ab hoc suo rigore.

Potus autem ejus, ut Domina Ferrina testatur de tempore, quo apud eam diversabat, erat quinta pars vini, affusis quatuor partibus aquæ. Ab eo non tantum arcebat, etiam ardente estate, nives, aut delicias similes, sed econtra filium, sub specie evitandarum oppilationum, mixto absynthio pontico reddebat prorsus amarum, adeò, ut Dominus Franciscus de Rubeis, paulum ex eo vino degustans, vix non vomitum, & totius stomachi conversionem sit passus. Vestis sp̄s interior, ut iterum inquit Illustrissimus Aretinus Episcopus, erat species cujusdam cilicij, quippe hyemis tempore hūdæ carni apposuit albicantes quosdam centobes, quibus alias contagi solent onera sumentis imposita:estate vero utrebatur induitus, ex canthabe crassa, & hispida, ut à multis vocarentur cilicia, nec unquam permittebat alia sibi substitui.

Ejus somnus erat permodicus, & solebat

bat citius surgere, quam alii socii, quamvis & isti quietem citò abrumperent: atque tunc ipsum reperiebant orantem. Dormiens autem incumbebat asseribus, sola loquice, qualis equis solet insterni, opertissimè interim autem Crucifixum in lecto sibi parato reverenter locabat: id quod tam in externorum hospitiis, quam in nostris dominibus factitabat, nisi quod durantibus expeditionibus sacris ei loco afferum arca serviret, cui res ad missionem spectantes erant inclusi: neque alio lecto utebatur, et si qb præcedentes labores, vel facta longa itinera, aut aliunde ortam corporis debilitatem, viribus esset exhaustus, imò aliquando etiam febre laborans.

Quām verò Sarzanæ in cubiculo sibi parato inveniret elegantia linteæ, tegmina serica, aliaque ornamenta ex tela Damascena, subito ea convolvit, ac aliò deportanda servo imposuit, unicâ retentâ lodiçulâ, nudis asseribus instiganda. Prætermittuntur hic, tanquam res levioris momenti, incommoda plurium hospitorum, quæ sæpe, in pagis præsertim vilioribus, erant miserabilia, sordida, aut male olen-tia, in quibus plurimæ occurrabant molestiæ, etiam somno infestæ, & alijs fastidiosus graves: quibus tamen rusticanis dominibus P. Paulus magis delectabatur, quam auratis palatiis.

Jam verò flagellis in se favebat acer-
rime,

rimè, in poenitentium supplicationibus, in quibus insuper alligatas post se trahebat graves catenas, ita, ut crederetur in singula momenta præ dolore humili lapsurus: nec tamen cum supplicatione laniera etiam finiebatur; quippe in pegmate se turba cædebat, adeò, ut saepius non tantum populus clamaret, ut tandem defisteret, sed personæ nobiliores in theatrum salirent, sic ei flagellam eriperent: quamvis postea de duabus fibi prospexerit, ut uno ablato iterum carnificinæ prosequendæ non desset. Quare scapulæ erant plenæ vulneribus, ut quidam sacerdos juratè testatus est, qui sanguinem inde abstulerat.

Idem insuper addidit, quod aliquando ieiū abetrante flagellum incussum fuerit manus P. Pauli, pollicem inter, ac indicem, & ex ea plaga, durante supplicatione, & postea in theatro, tantum profluxerit sanguinis, ut populus alcum clamaverit, Patrem esse sauciatum, & duo nobiles pegma concenderint, ac vulnus obligeare studuerint: ipse verò deliquium fuit passus. Similiter in oppido S. Remiglii tam enorriter se flagellis cæcidit, ut tribus vicibus animo, ac sensu, defecorit, nec potuerit, nisi sustentancibus aliis è theatro descendere.

Non autem contentus erat his publicis flagellationibus, sed singulis noctibus aliam privatim superaddebat, caque, ut

uit P. Xaverius Constantius, totum corpus à capite usque ad pedes diverberabat. Retalit quoque Domina Ferrarina, se rep̄isse in cubiculo, in quo P. Paulus per noctaverat, tria flagella, ex oblivione ibi relicta, unum ex funiculis, alterum ex laminis ferreis, tertium ex toriaceis ligulæ: & duo priora fuisse sanguine recenti resparsa: quæ ipsa pro sua devotione retinuit, nec illi, quamvis enixè petenti, unquam restituere voluit. Quin etiam vir Dei saepius, & aliquando cum lachrymis licentiam petiit, sacerdotem missionis comitem constituendi, à quo insigniter flagellaretur: at hoc ei semper rotundè fuit negatum.

Ulteriùs non parva austерitas fuit, quod pedibus omnino nudis incesserit, per vias asperas, saxosas, inæquales, fossis, & paludibus seetas, quas saepe pluvio tempore emetiri oportuit, adeò, ut anno 1707. 11. Novembris potuerit amico perscribere, se duos jam menses nudis pedibus per aquas incedere: ita copiosas pluvias esse. Certè totum iter Panzano usque Redam inter imbræ, diluvii instar cadentes, confidere debuit, atque, ut erat toto corpore madidus, solitum ingressum, atque alijs quoque functiones celebrare. Aliquoties etiam accidit, ut, dum manè per gelidas pruinatas nudipes progredieretur, pedes toti quanti rigerent, ipsèque deliquio oppime-

opprimeretur. Interim tamen, postquam finitis laboribus domum fuit reversus, noluit ad focum accedere: ne autem austeritatem erga se ipsum hac in re proderet, causatus est, calorem, post praecedentia frigora subito admissum, sanitati noxiun forte.

In his Apostolicis itineribus suis, ut ait Dominus Franciscus de Rubeis, studiosè gradiebatur per medias spinas, à quibus pedes pungebantur, & lacerabantur: cùmque ipsi allati fuissent aliquot rami juniperi, eos intra indusium nudæ carni apposuit, utique non sine acriter dolore. Capiti autem circumdabat spines coronas, non tantum in supplicationibus publicis, sed verosimiliter etiam tempore nocturno quietis; cuidam enim personæ, cuius spiritum ipse regebat, ut id faceret, suauit, & modum eam coronam portandi tam enucleatè descripsit, ut planè merito credatur, ipse eum prius expertus.

Etsi autem tantis rigoribus corpus suum attereret, tamen nimis commodam, vel etiam mollem vitam, se ducere existimabat; unde aliquando cum alio de Manduvensibus Missionariis colloquens: *Hic*, aiebat, *sunt verè Missionarii, non nos, qui tantis commodis fruimur.* Agnosco, me nec illius dimidium facere, quod essem facturus, si talis forem, qualis esse deberem. Scilicet ejus desiderium patiendi pro Christo nun-

quam satiabatur: hoc incitatus dicebat fre-
quenter, debere nunc queri occasionem
multum patienti pro Christo, & esse nunc
properandum, ut, dum tempus habemus,
multa patiamur; quia, aiebat, in celo
posteriorius quidem ipsius amare, sed non a-
more ipsius aliquid pati. Addebat, si quis
non multum patientur, signum esse, cum
quoque parum amare.

Verum P. Pauli mortificatio non tan-
tum fuit externa, sed multè magis interna,
& vel maximè huic studebat. Sanctè, àe-
ternum refert Illustrissimus Falconeinius,
indolem suam, à natura cholericeam, ità
edonavit, ut in conversione prorsus esset
dulcis, amoenus, ac suavis. Sæpe dice-
bat, mirari se valde, quod plurimi solos
meditentur Christi Domini doctores exter-
nos, & externæ pœnitentiae opera faciant:
econtra oppidò pauci internos recognoscant,
& interioris pœnitentiaz actus exerceant;
cùm tamen ab illis sæpe debilitas corporis,
aut periculum sanitatis excusat: ab his
autem neminem ultra ratio similis eximat.
Eundem in senum cuidam Dominae scri-
psit, eam quidem ob valetudinem afflictam
paucas adhibere posse corporis austeritates:
at ideo amplecti debere mortificationem
inordinatorum animi motuum, ita, ut
nullam occasionem eas suppressorū omit-
tat.

Quod autem vir hic Apostolicus alijs
fuerit,

suasit, in se absque dubio est executus: sanè, ut aliquid, vel ageret, vel omitteret, sufficiens ei erat incitamentum, si voluntatem propriam vincere posset. Hinc in quadam charta sibi rationes conscripsérat, ob quas maximam minimorum curam haberet, quæ sine frequenti mortificatione interna haberi non potest. Prima ratio erat; ut saltē modicum aliquid amore Dei quotidie faciat. Secunda; eoquod res in se quamvis exigua, si amore Dei fiat, sit magna. Tertia; quod sic saltē parva in te imiceretur Christum, in omnibus cum omni perfectione operantem: nec parvum sit, illi vel tantillo fieri similiorem. Quarta tandem modum concernit, quo similes parvulas fui victorias Deo offerre deberet, nempe eum aliqua quasi indignatione, quod majores non essent, dicendo: Domine, parvum est. *Pura Dominus: Adiuva me mi-
fisu.*

Verum P. Paulus non tantum fortiter egit, se ipsum austere habendo, ac internas affectiones suas gloriose vincendo: sed etiam fortia passus est, seu patientissime adversa omnia tulit. Ec sanè cuique facilè patet, Missionarium molestijs plurimis, tum in corpore, tum in animo, esse expostum: & quomodo vir Apostolicus portuisset carere molestijs gravibus, in tanto affluxu tot millium hominum, ac concursu plurimorum etiam difficulter negotiorum, om-

nem quietem inturbantium, in ordinatis tot functionibus facris, quarum curam nemini alteri integrum cedebat, adeo, ut licet alijs defatigatissimus esset, tamen, an omnia rite essent disposita, studiosè inspiceret: in tanta diversitate victus, & habitationis, in vita extra domum religiosam, & quasi in campo traducta, adeoque extra locum necessariæ quandoque refocillationi idonenum, in similibus alijs, quæ cuivis etiam obiter cogitanti facile incident.

Omnia hæc P. Paulus invicto animo tulit: & quamvis vivacissime adversa ista sentiret, tamen commotiones internas, ita reprimere solitus est, ut crederetur, nihil ei afferre fastidium. Sic, dum aliquando degere debuisset in domo, ubi propter exercitum nimium focum caput ejus afflugebat, nec unico verbulo questus est, sed potius fuit gavisus, quod sua cum molestia alijs suo commoda perfruerentur. Sic, dum fixeret, nec frigidæ haustum admisit. Plurimam etiam pacienti materiali attulit ipsi impetigo illa, de qua cap. 4. est dictum, quam Medicorum jussu balneis Eucensibus uti oporeuit, quibus multum debilitatem sunt corporis vires, atque adeo doloribus magnis obnoxiae redditæ. Huic morbo accessit stomachi languor, à nimio aquæ potu artus, item singulis noctibus sudor molestus, de quo tanquam malo periculoso, maximè hominim nullam quietem habenti,

sed

sed ab una missione ad alteram mox prope-
ranti, certiorem fecit Generalem Societa-
tis Dominus Ludovicus Murator Quicis Mu-
tinensis Bibliothecarius, rogans, ut frumentum
animi viri Dei fervori iniiceretur.

Accessere his malis acerbæ vexationes,
calumniz, & injuriz, ab hominibus qui-
busdam illæz; et si enim ingenti populi
plaues, & reverentia, tanquam sanctus ubi-
vis communiter exciperetur, non tamen de-
ceperant inter tam multos, qui ejus acta im-
probarent, aut etiam acerbè traducerentes
que omnia licet ipse, quantum posset, alio
silentio premeret, tamen aliqua occultari
non potuerunt. — Quodam in loco, ubi
missio inchoari debebat, tam cruda inhuma-
nitate fuit exceptus, quasi non Missionarius,
sed fur adveniret, domum expila-
turus: quem casum dum ipse amico suo per-
scripsit, eundem rogavit, ut Dco pro hoc
beneficio sibi collato gratias ageret, simûl
que oraret, ut etiam deinceps contemptu
simili se permitteret affici; eoquod valde
utile futurum sic, ad expellendum omnem
amorem proprium, atque oecultam suam
superbiam: & his tandem verbis clausit epî-
stolam: *Vivat contemptus mei, & amor
JEsu.*

Alio in loco Parochus quidam ægrè fe-
rens, suos parochianos certo loco, nefcio,
qua de causa, ipse non accepto, circa pegma-
stare debere, cum omnibus suis stacione-

deserta domum reverfus est: quod cùm P. Paulus inaudiffet, illum mox est insecurus, & emensâ viâ non modicâ, eum tandem affecatus, molibus verbis tentavit reducere: at is iratior reposuit aspera, & stomachantia; cùm Pater in medio campo flexis genibus et supplex est factus, & veniam hemisè rogavit, ac ei obtulit locum profuis, quem ipse deligeret, cùmque etiam reversis statim attribuit, non sùre aliorum admiratione. De quodam Ecclesiastico, à quo verbis satis irreverentibus erat exceptus, poterat facile conqueri apud Principem, à quo is dependebat: at maluit, eum laudare, & estimationem ei conciliare.

Multi tam Ecclesiastici, quam sacerdtes, sive ex malevolentia quadam, sive ex quodam genio, ac pruritu contradicendi, aperte improbabant ejus functiones: & quidam ausus est clam procurare, ut satyra quadam in ipsum scripta in ejus manus veniret, unâ cum longo catalogo defectuum plurimum, in ipso annotatorum. Parochi quidam palam suos avertebant à missionibus, pessime, & valde ignominiosè, de ijs soliti loqui: & tamen P. Paulus, qui faciliter poterat eos omnes compescere, Principum, & Episcoporum auctoritate, maluit omnia in multa patientia sustinere: nec unquam de similibus questus est: sed excusavit, quantum potuit omnia, & infelices quoque successos attribuit sibi, suisque peccatis.

Quid

Quin etiam, quando calumnijs impedita fuit ipsius doctrina, & acerbè traductæ ejus alijs laudatissimæ instructiones, quando etiam missus ad ipsum magnus numerus falsorum accusationum, quasi ex contraria ipsum fieri possent, additâ amarâ hac clausulâ, ipsum, si non se emendaret, versari in periculo damnationis æternæ: aliud non solebat reponere, quām gratias illorum affectui in se, ut ajebat, benevolo, & preces, quibus pro se Deum orari rogabat: secum autem, & coram socijs tunc, uti & alijs, repetebat illud suum solenne: *Deus sit benedictus: Deus sit semper mecum: ad animandos verò comites alterum illud: Plus pati affert plus paradisi.* Unica tantum vice adverbitatibus presso erupit hæc vox: *Revera sum fessus: at mox se correxit dicendo: Volebam dicere: Plus paradisi.*

De reliquo sciens, quod, si hominibus vellet placere, divinam gloriam pro viribus promovere non posset, & cavillos, & oblocutiones, atque calumnias, nihil fecit, & gnomen sibi consuetam opposuit: *Beneplacitum Dei, & aliud nihil.* Imò, cùm aliquando in Pratensi Collegio alijs tempore recreationis colloqueretur, & sermo incideret, de magnis quibusdam Dei servis, quandoque ad supremum tribunal injustè delatis, ipse in has voces prorupit: *Utinam dignus essem quid simile pati pro amore Iesu Christi.*

Sed

Sed & dæmonum rabies permissa est in
P. Paulum senvire, ita testatur quædam per-
sona, à nobilitate, & prudentia celebris;
namque refert, cum aliquando oppidò lan-
guidum, adeò, ut vix verba posset forma-
re, & se interrogatum, quid mali sentiret,
reposuisse, sibi caput valde dolere, & qui-
dem dolore insolito: petiisse à se etiam pro-
ces, quibus impetraretur à Deo certa aliqua
gratia: qua si fuisset obtenta, ipse secre-
tum hoc sit apertiùs revelaturus: sequenti
dein die misse ad se schedulam quandam,
qua continebatur, desideratam gratiam
fuisse concessam: se vero à dæmonе verbe-
ratum fuisse: ac hæc verbera se parùm cu-
rare, cùm Dei sit ipsum sanare: & re ipsa
post tres dies sanatum fuisse eadem persona
testata est.

Multo major fuit dolor, quem à dæ-
monibus passus est optimus Pater, dum hi
modis omnibus fructum laborum ejus,
aut impedire, aut perdere coenari suère-
tum functionibus sacris abstrependo, tum
molestijs alijs auditores, & ipsum afflige-
do. Aetij nocte generalem communionem
antecedente velum ingens, & ita firmiter
expansum, ut vix triginta homines longo
tempore id potuissent diruere, dejeerunt.
Aliquoties omnium in civitate horologio-
rum cursum turbarunt, ut ad consuetas
exercitationes suo tempore populus adesse
non posset: saepius pluvias, tempestates,

ac turbines concitaverunt, ut populus loco discederet. Ex energum enorū corporibus latrārunt instar canum, aut instar aliarum ferarum ululārunt: quandoque ipsum P. Paulum inclamārunt, ut taceret, alias ab ipsis esse abripiendum: aliquando irruerunt quasi ipsum dilaceraturi: quia tamen vir Dei interitus stetit, ab inferendo majori malo prohibiti sunt.

His autem omnibus, tam humanis, quam diabolicis infestationibus, procul dubio longè acerbiores ipsi fuere angustiae illæ internæ, scrupuli, & inquietudines animi, quibus eum Deus tanquam aurum in fornace probavit. Sanè in quadam epistola, paulo ante mortem conscripta, facetur, se tam vehementi desolatione interna obrutum esse, ut cum Jobo dicere possit: *Factus sum mihi nec ipse gravis.* c. 7. v. 20. videbaturque sibi abjectus à Deo, ut pote peccator maximus, & ipso diabolo pejor.

In epistola alia describens intérieores suas angustias, ait, se timere, ne omnibus actionibus suis Deum offendat, adeò, ut metuat, ne tot gravia peccata committat, quot missæ sacrificia offerat: qui timores continui animæ, vix non nomen peccati exhorrecenti, utique erant gravissimæ pœnæ. Hos inter dolores duo tamen ipsi differabant solatum, ut iterum scribit: primò, quod pisces grandes reti Apostolico capiat,

capiat, hoc est, insignes peccatores convertat: secundò, quòd ipse, quantum in se esset, nec crucem fugiat, nec operam animabus juvandis, minùs, quàm antè, impendat, & in omnibus majus Dei beneplacitum querat.

Quamvis autem tantis afflictionibus, partim in corpore, partim in animo, tam à Deo, quàm ab hominibus, ac diabolis, vix non opprimeretur, parùm tamen, aut nihil se pati existimabat, & cum S. Xaverio plures cruces sibi mitti desiderabat; hinc à quædam persona expetijt, ut sibi à cælo obtineret spinas permultas, at simul magnum Dei amorem, quo eas patienter perferret; eoquòd modus aliis Deum amandi hic in terris non sit, quàm pro ejus amore, & pro animabus ipsi charissimis, aliquid pati. Ad aliam scripsit, etsi quis se vertat sutsim, deorsum, & in omnem partem, non inventurum alium modum Deum amandi, quàm pro ipso pati, non tam à seipso per varias austeriorates, quàm ab alijs per varias eorum infestationes.

CAPUT VI.

Obedientia P. Pauli.

Virtus obedientiæ, etsi in omnibus personis Deo dicatis sit valde laudanda, attamen in Missionario, qui ratione

tione muneric sui extra domos religiosas, & conspectum suorum Superiorum, foris aperta in acie vitam omnem agere debet, longè pluris est aestimanda: fuit autem à P. Paulo præ alijs culta, & instar stellæ cuiusdam polaris, ad quam cursum expeditionum suarum dirigeret, observata. Non hic repetenda sunt visa, quæ de exactissima ejus obedientia, primis vitæ religiosæ annis exercita, dum tyronem, studiosum, aut inferiorum Scholarum magistrum ageret, supra libro primo sunt dicta: nec rememorandum, quod officium Ministri in Seminario Romano, eti multis de causis ipsi valde difficile, promptissime tamen acceptaverit, in eoque, si Superiores ita statuerent, semper perseverandi propositum firmissimum fecerit: de qua insigni sui victoria etiam libro primo est mentio facta.

Itaque hic tantum agetur de perfectissima ejus obedientia, dum missionibus præfuit, Superioribus constanter exhibita. Igitur in primis missiones est auspicatus plena cum indifferentia, non tantum quoad locum, & tempus, sed etiam quoad socium suum futurum: & Patri cuidam, qui sua obsequia hunc in finem obtulerat, atque ipsi oppido gratus, ac valde idoneus erat, tamen rescripsit, destinationem ad missiones procurandam non esse, nisi oratione in qua petatur à Deo haec gratia, non ad solatium proprium, sed ad nostram; alio-

Namquid

rūmque salutem, ac sanctificationem: media etiam ad impetrāndam eam Superiorum ordinationem, alia adhibenda non esse, quām, quā Deus ipse suggesserit, & omnimoda vita perfectio non recusaverit: quodsi etiam obtenta non fuerint, quā erant desiderata, oportere esse contentum. Addidit, se existimare, non sibi deesse hac in re indifferentiam, quamvis multa alia ad grande opus missionis deficiant.

Et cum postea ei esset adjunctus aliis sociis, non opposuit vel unicam syllabam: quamvis autem sequentibus annis Superiores sepius ei obtulerint socij electionem, nunquam eā licentiā voluit uti, aīens, malle se omnia committere providentiaz Dei, & Præpositorum, atque accipere eum, qui sibi ab istis fuerit datus. Quis- tanque autem ipsi assignatus fuisset, eum summa cum charitate excipiebat ut fratre, instruebat, juvabat in omnibus: insuper apud alios laudabat. Quodsi rufus contingeret, eum aliò avocari, et si id quandoque valde importunum accideret, tamen mox voluntati Superiorum aequiescebat.

Non minus indifferentem sese exhibuit ad ipsos sacros labores, hic, vel alibi inchoandos, aut perficiendos: certè anno 1712. ad P. Oliverium scripsit, se ad omnem minimum sanctæ obedientiæ nutum prompte iturum, quo ire fuerit jussus esse

esse se in manibus Summi Pontificis, ac Patris Generalis, nec querendum beneplacitum suum, sed Superiorum, sequentes omni modo desiderare, ut istorum pietatis intentiones nec in minimo puncto impediantur; cum enim Missionarius vel maximum indigeat ope divina, ipsi non esse ex propriae voluntatis pruritu agendum, ea in re, à qua dependeat auxilium Dei, unde optimum fore, si ipse, sine prius quæsito suo consensu, eò mittatur, quo fuerit Superioribus visum.

Nec solum verbis, sed magis factis, obedientiam suam perfectissimam esse monstravit; quippe oblatam aliquando missionis instituendæ occasionem neutquam admittere voluit, nisi prius Superiores eam probarent: cumque quidam Religiosus non contempnendæ auctoritatis eum conaretur inducere, ut non expectata tali approbatione mox operam suam addiceret, ipse reposuit: *Nolo instituere missiones, ut depauperer*: dicere voluit, nolle se laborare, nisi foret prius securus de beneplacito Dei. Et quamvis zelo ingenti sacras missiones esset amplexus, atque etiam methodum, à patruo suo P. Paulo seniore in ijs maximo cum fructu adhibitam, saepius tamen est protestatus, paratum se esse, ad quemvis nutum Superiorum, & illas relinquere, & istam mutare.

Quando audivit, quendam Romæ Superiorum

periorem in colloquio quodam domestico ostendisse, non sibi omnino placere, quod Dominum Lomellinum ubique secum deducat: quamvis hic ipsi, ut Jonathas suo Davidi, **conunctissimus** esset, tamen deliberavit, an non à se eum divideret; eoquod diceret, et si id facere jussus non esset, deberet tamen cuique sufficere, si mens Præpositorum quo-cunque tandem modo ipsi innotescat: & re ipsa dimissionem illam executus fuisset, nisi denuo certò intellexisset, non eam esse mentem Superioris, ut ulla hac in re mutatio fieret.

Dum in Domo Probationis Florentiz ageret, in rebus omnibus summa cum humilitate Rectori ejus se submittebat, eundem de negotijs omnibus maxima cum indifferentia consulebat, petebatque, ab ipso decerni, aut juberi, quid esset faciendum: ab ipso quoque sibi suggeri modum, quo missiones, & alia ad gloriam Dei majorem essent instituenda. Scilicet volebat exactè observare propositum, in charta quadam à se conscriptum, nempe, ex amore Dei, quem in Superioribus deberet agnoscere, se per omnem vitam facturum, non tantum, quod isti juberent, sed etiam, quod tantum se desiderare, aliquali signo ostenderent: nec aliam hujus suæ obedientiæ expectaturum mercedem, quam Superiorum à se aversiō-nem, & torum suorum improbationem, & sinistram de se tanquam inobediente opi-nio-

nionem: insuper in illis rebus, à quibus magis abhorreret, promptius obediturum.

Quando nulla extabat ordinatio sanctæ obedientiæ, solebat secum studiosè pendere, quid ijs in occasionibus videretur Superiori præ alijs gratum futurum: &, quod tunc gratius ei fore credebat, illud exequebatur. Quod autem magis est admirandum, non tantum ijs, qui revera erant Superiores, se ita subiiciebat, sed etiam illis, in quibus apparebat vel levissima umbra altioris potestatis. Sic, cùm quidam Scholasticus Societatis, Rhetoricæ alijs studiosus, sed recuperandæ valetudinis gratiæ Pratum missus, ibique, ut haberet, quo se distraheret, juvenum convictorum aliquam curam habere jussus fuisset, P. Paulus, per aliquot menses ibi versatus, ipsum tanquam Superiorum est veneratus, & absentibus alijs ab eo licentiam domo exeundi, aut literas mittendi, humillimè petijt, non sine rubore illius.

Obedientiam autem, & quidem cæcam, ac promptam exhibuit in rebus maximè arduis; jussus enim ob scabiem, in Graaganensi regione contractam, balneis uti, etsi adverteret, eorum usu frequenti, ut pote præscripto in dies singulos gemino, & ad spatiū sex hebdomadatum protracto, notabiliter se debilitari, paruit tamen: &, cùm exinde sentiret, perditas vires à se recuperari non posse, grates habuit Deo,

Q a

quod

quod sibi fecerit gratiam, valetudinem immolandi obedientiz. Verum huic consecravit, non solummodo corporis, sed & animi vites, intellectum, ac voluntatem, & omnia desideria sua, etiam, quæ zelus juvandi proximum excitavit sanè ardentia.

Nempe non semel missiones instituit ipsi in urbibus, ubi Societatis erat Collegium: & tunc quoad sacras exercitationes dependere volebat à loci Præposito (id quod etiam volebat, si apud alios Religiosos hospitaretur) at, cùm non raro Superior minus intelligens Apostolici ministerij esset, decernebat aliquoties aliqua, aut missionis utilitati, aut gloriæ divinæ promovendæ, minus idonea: quibus in casibus tamen vir Dei illius judicio se humiliter subiiciebat, insuperhabitâ repugnantiâ omni, tam intellectu, quam voluntatis, ac zeli, semper in majus proximi bonum propensi. Neque curabat quorundam oblocutiones, qui talia facta damnabant; quia nempe pretium obedientiæ cæcæ non cognoscebat. Interim ipse silebat, & similia contra se dicta tacitus dissimulabat.

Quin etiam infaustos quandoque negotiorum, à se prius dissuasorum, eventus, sibi imputari patiebatur; contigit enim, ut aliquando jussus de aliquo negotio gravi, per ipsum executioni mandando, sententiam dicere, aliud optima fide sentiret, quam ejus Superior immediatus: attamen

mox

mox curabat, rem omnem peragi modo, non quo ipse, sed quo Superior faciendam existimabat; unde evenit, ut negotium non satis prudenter tractatum, exitum infelicem nanciseretur: attamen P. Paulus, nec verbulo questus est, nec suam opinionem sequendam fuisse jactavit: quin imò infortunium isthac sibi tanquam auctori adscribi est passus, atque gavisus, quod suo damno Superioris famam servare posset illasam: quod facinus, virtutis planè excelsæ, illi, qui hæc narravit, tantam de ipso estimationem ingeneravit, ut eum sanctum esse non dubitaret.

C A P U T . VII.

Dexteritas P. Pauli in dirigendis Aliorum Conscientijs.

Obedientiæ tam perfectæ virtute, quæ se P. Paulus, ut dictum, à Superioribus facillimè, & humillimè regi sinebat, videtur fuisse commeritus, ut Deus ipsi conferret donum singulare, conscientias aliorum regendi, quod hanc in ipso extimum fuit; unde præter alios non paucæ etiam nobilissimæ Matronæ eum sequebantur in varia loca, ubi missiones instituebat, ut eo tempore, ipso conscientiæ direxione, possent frui: & fruebantur maximo suo solatio, ac ædificatione.

Q 3

Quam-

Quamvis autem ultimis annis esset surdaster, & hinc potius concionibus, ac instructionibus habendis, itemque sive ordinandis omnibus functionibus sacris, se occuparet, quam audiendis confessionibus (et si his quoque, quantum posset, vacaret) habuit tamen aliam viam, per quam plurimos ducebat ad sanctitatem sublimem, nempe, privata colloquia, & praesertim epistolæ; quippe occasione missionum, & multo magis Exercitiorum spiritualium, pluribus locis publicè expositorum, sacram quadam necessitudinem cum varijs personis, partim sæcularibus, partim Ecclesiasticis, aut Religiosis contraxit: quarum conscientias dirigendas, aut ad earum preces, aut sapientius ad Episcoporum, aut aliorum Praestitorum petitionem, aut etiam post animadversum quendam internum à Deo impulsum, in se suscepit, atque eas sapientissime ad omnem virtutem instruxit, adeò, ut plures, quæ fere ejus directioni submiserant, postea magna cum fama sanctitatis sint mortuæ.

Non quidem hac in re poterat multum viva voce præstare, utpote, qui folis instar semper in motu per varias terras calorem, & lumen supernum, diffundere solitus erat: at plurimum præstitit suis epistolis, divino Spiritu, & suavissimâ efficaciam plenis, quas tanto numero scripsit, ut vix non incredibile sit, hominem, tot negotijs alijs

alijs occupatissimum, potuisse tam numerosas, & tam prolixas exarare epistolas; quippe pluribus, suæ directioni sponte subjectis, permisit, ut in hebdomades singulas ad sedarent epistolas suas, easque in capita plura distinctas, quibus statum animæ suæ expönerent: his autem ipse mox reddidit promptum, ac amplum responsum, idque documentis spiritualibus plenum, quibus copiosè edocebantur, res etiam parvas magno cum merito facere.

Et utinam possent typis publicis edi: certè utilitatem quamplurimam cuivis legenti afferrent: at quia, partim ab ipso met P. Paulo occultè abjectæ, partim ab alijs ipso mandante sunt laceratæ: aliæ vero, ob contenta in ipsis cordium secreta, & singulares conscientiarum directiones, vulgari non possunt: aliæ etiam reliquiarum instar magno zelo custodiuntur, paucæ solummodo Confessorum, aut Prælatorum quorundam authoritate, sunt impetratae, quæ sapientiâ tantâ, ac tanta divini Spiritus unitione sunt plenæ, tanto evangelico sale, ac simul dulcissimo melle refertæ, ut planè prudentia quædam superna ex ijs satis clarè eluceat.

Hinc ijs, quibus missæ fuere, afferebant ingens solarium: certè quædam persona, magnæ pietatis, atque virtutis, de seipsa testata est, se sœpius infestatam fuisse varijs scrupulis, ac tentationibus, aliisque internis

ternis afflictionibus: sed statim, ubi prima verba epistolæ, à P. Paulo submissæ, perlegere coepit, se penitus fuisse mutatam. Addidit, ipsum tanta claritate exposuisse, quid dicendum esset, aut faciendum, ac si cor suum intimè perspexisset, & aperte rescivisset præterita, atque omnia prævidisset futura.

Doctrina in epistolis illis contenta est clara, & limpida, hausta ex sacris Scripturis, Sanctis Patribus, probatissimisque Ascetis, & simul adaptata personis, quibus destinabantur; hinc vitæ Dei quandoque, dum quibusdam minus in Spiritu provectis, seu in hoc adhuc parvulis scripsit, ad modum Eliæ super puerum defunctum se contrahentis. & ipse se quasi contraxit, atque facilliora, eorumque imperfectæ conditioni aptata documenta transmisit: alijs capacibus majora præscripsit. Et sanè res erat stupenda, ipsum videre, tam diversis hominibus, secularibus, Ecclesiasticis, Regularibus, Monialibus, Matronis illustribus, quin & artificibus, suppeditare instructiones sapientissimas, & cuiuslibet statui, immo etiam indoli, genio, affectioni, ac inclinationi accommodatissimas. Hinc Illustrissimus Fesulanus Episcopus, vir eximius prudenter, atque virtutis, videbatur sibi in P. Paulo videre Paulum Apostolum, de quo posset etiam dici: *Omnibus omnia factum sum s. Cor. g. v. 22.*

Scimus

Stimulant literæ illæ ad progrediendum
in via perfectionis; sed simul robur ad cur-
rendum in ea, si non alas ad volandum,
suppeditant. Non tamen in ijs permittun-
tur præcipites quidam volatus, in avia quæ-
que ferentes, sed tantum securi ad nídum
in foraminibus petra, in caverna maceria.
Cantic. 2. v. 14. Incitant ad devotionem,
non teneram (quæ sþpius fovet occultam
superbiam) sed solidam: & fundamentum
vitæ sanctioris ponunt humilitatem, ac
promptitudinem, adimplendi in omnibus
voluntatem divinam; unde P. Paulus Mo-
niali eidam sic scripsit: *Non timeat, quod*
Deus ipsam permisurus sit decipi, quamdiu
bonam in omnibus Deo placendi voluntatem
servaverit; est enim Dominus bonus, fidelis,
ac nostri amans: at neque credat, semper
permansurum . quem nunc in se experitur,
sensibilem affectum ad mortificationem &c.
neque in hoc stat cardo devotionis, sed in
eo, quod etiam bene agatur, quando fasti-
dium, & tedium, voluntatem à bono conan-
tur avertere.

Alteram quandam nobilem Dominam,
quæ sub initium mutatae in melius vitæ
semper multiplicabat orationes vocales,
ac similia exercitia alia. per literas docuit,
potius opus esse mortificatione, & factis,
quibus hominum, ad hujus duntaxat sa-
culi normam prudentium, judicia, & ob-
locutiones, re ipsa contemnerentur: cùm
que

que illa hoc ejus consilium esset animosè secura; ei rescripsit, nunc tandem ipsam incipere, verum, ac solidum bonum agnoscere.

Volebat suos semper, & magnis passibus, progredi in via perfectionis: & hinc scripsit cuidam, Deum non velle ab ipsa frigidè sibi serviri, sed spinas, quas ipsi unā cum gratia sua offerret, generosè calcarī, imò in istis saltari, sicque ipsam verè effici sanctam: in ipsa, nec esse debere voluntatem propriam, nec judiciorum alienorum timorem, item nec superbiam, nec ullam ad res creatas adhæsionem: sed solum JESUM, ac beneplacitum ejus cum cruce ejusdem. Alteri scripsit, pro ipsa non esse medium aliquam viam, sed aut debere esse insignem Dei famulam, aut magnum mundi mancipium.

Alteri Virgini religiosæ rescripsit, eam futuram fuisse beatam, si jam à tyrocinio suo ferventer virtutem amplexa fuisset: melius tamen esse, incipere tardius, quam nunquam: attamen nunc iter sacrum accelerari debere: non esse metuendas aliorum oblocutiones; cùm unicum dulcissimum verbum, quod Christus, in SS. Eucharistia receptus, cordi ipsius sit locuturus, abunde sit compensaturum omnia dieteria hominum.

Animabat omnes ad non desperandum de obtinenda perfectione, et si videatur eouslyque

usque factus parvus progressus ; quippe, ajebat, ut Sancti, quo majoribus oppres- si sunt necessitatibus corporis, eo majorem habent in Dei bonitate fiduciam, sic, quo pluribus miseriis animæ nos obruti sumus, eo majori spe debemus ad Deum confu- gere: ita tamen, ut simul ejus gratiæ co- operari, & ea, quæ petit à nobis, exequi studeamus. Iis autem, qui tristabantur; eoque viderent, se vel nulos facere, vel omnino lertos in virtute progressus, inculcabat, ne propterea deficerent animo, sed potius se coram Deo abjicerent, & es- sent contenti, et si cælum aliis plenas quasi patinas supernorum ciborum subministra- ret, sibi autem vix quasdam eorum reli- quias; nam & hanc animi compositionem esse partem sanctitatis non contemnendam : remitterent omnia ordinationi divine: at- tamen essent parati, ad omnia ea præstanta, quæ intellexerint, Deum ab ipsis expe- tere.

Nolebat eos, quos dirigebat, multum tricari cum scrupulis, & cogitationibus anxiis ; hinc cuidam personæ, optimæ quidem mentis, at similibus terriculamen- tis valde obnoxia, rescripsit, ipsam fortè tunc Deum magis amare, quando sibi vi- deatur cum minus diligere, præsertim, si humili, & suavi submissione, à Deo has an- xiitates, ac aridates acceptet : sit bono animo ; Deum enim brevi redditum ipsi- us

us conscientia serenitatem. Cogitet, si in alicujus hominis gratiam tanta fecisset, quanta praestiterit Dei causâ, illum extrema pro ipsa facturum: Deum autem non esse minus bonum, quam creaturam; unde tandem acquiescat, & suo iussu eredat, se Deo esse charam, & quidem modo non tantum ordinario.

Gaudebat P. Paulus, animas sibi commissas potius ducere per viam amoris, quam timoris, non quidem amoris teneri, ac sensibilis, sed fortis, & efficacis, ac studiosi propriæ mortificationis; unde docebat, nunquam scienter aliquid Deo negandum, quod à nobis postulat, etsi id grave, ac difficile sit: offerendum Deo ipsum etiam Agag, hoc est, regem inordinatarum affectionum, seu affectum aliis prædominantem; sine hoc enim minora sacrificia ipsi haud satisfacere. Hinc cuidam suafit, ut confessario suo omnia sua, tam bona, quam mala manifestaret: ab eo autem inciperet, in quo narrando maximam difficultatem sentiret.

Dominam quandam, pietati in primis addictam, hortatus est, ut ob amorem Dei sibi constitueret famulam, fidelem, ac taciturnam, ante quam in genua se se demitteret, & ab ea omnia sua errata sibi exprobrari, atque ob ista graviter ab eadem vituperari, quin etiam pedibus se conculcari curaret. Ipse quoque erga quosdam

dam utebatur modo agendi, quo ipsorum inordinatas affectiones, & prurientia desideria coërceret. Sic Moniali cuidam, quæ vehementius desiderabat, sibi celerimè reddi responsum, studiosè distulit respondere: tandem verò rescripsit, se alijs quidem omnibus respondisse, at non ipsi; eoquod debeat velle, ex memoria omnium hominum, Christo Domino duntaxat excepto, esse exclusa: versari ipsam in cœtu sororum, magis Deum amantium, quod nullo modo ipsi ferendum sit.

Alteri, quæ valde prolixas ipsi scriperat literas, plenas quæsitis, ac dubiis, conscientiam suam spectantibus: & vicissim longum responsum præstolabatur, ipse profsus nihil reposuit aliud, quam exaratas in aliquo folio has pauculas syllabas: *Soror NN JESU:* quæ tamen verba ipsi plenum solarium, & omnimodam è dubiis extricationem attulerunt, non sìne magna dilecta Virginis admiratione, & aucta exinde viri Dei estimatione. Monialis alia habebat tunicam quandam elegantiorē, qua solum festis præcipuis uti solebat: at P. Paulus, ut nimium erga rem caducam affectum reprimeret, jussit, ut eā quovis die indueretur: verūm amor proprius vicit, & Monialis non obedivit; quare ille rescripsit, si eam tunicam corroserint tinæ, se cantaturum: Tineæ vivant: & ecce, postquam literæ redditæ sunt, stem

stem illam invaserunt innumeræ tineæ, il-
lāmque penitus eroserunt.

Præter documenta, jam hinc inde allata,
repetebat sæpius etiam istud: *Modus omnia
imperandi à Deo est nihil ei negare, se-
ipsum verò in omnibus vincere: peculiari-
ter autem plura cuidam Virgini religiosz
præscripsit, digna, quæ hīc inserantur, ac
brevitatis causâ aliquantūm contracta; ser-
vient enim ad omnium ædificationem, ac
instructionem; sic autem habent:*

1. Si ipsi in mentem veniat exercenda
mortificatio aliqua, difficilis quidem, at-
tamen conveniens statui, non se excusat
impotentia, sed potius sibi persuadeat,
quod cum gratia divina omnia possit.

2. Si aliquando se ab aliquo vitio vin-
ci, & sterni permiserit, subito iterum sur-
get, ac implorat gratiā Dei, & initā de-
nuo pugnā hostem devincat.

2. Sæpius cogitet, se ingressam fuisse
religionem, *non ministrari, sed ministrare,*
Matth. 20. non ad commodam vitam, sed
ad pœnitentiam agendam, non ad tractandas
res leviculas, sed amandum Dominum JE-
sum.

4. Cogitet, ad acquirendam humilita-
tem necessarium esse querere humiliatio-
nem: & hoc esse, solidum fundamentum
ponere.

5. Aliis relinquat meliora: sibi autem
eligit pejora; eoquod omnino sibi persuasum
habe-

habere debeat, alias esse sanctas, se vero peccatricem-

6. Non indaget in aliorum facta, ad quod juvabit, oculis non curiosè circum vagari, & observare silentium.

7. In mentem saepius revocet dictum S. Therese: *Virtus non exercetur in angulis, sed in occasionibus:*

8. Si ab aliquo offendatur, offensam exterius vertat in jocum: interius pro lædente offerat DEO aliquem actum virtutis.

9. Curet, ut in omnibus præferat alacritatem, & quandam generositatem.

10. Accuratè attendat ad omnia signa domestica; eoquod per ea Dominus vocet: nec excusationem prætexat, nisi necessitatis revera gravis.

11. Procuret sibi diebus sabbati dici ab aliqua sorore amica, quidquid per hebdomadem malegerit: & in majorum festorum vigiliis à Superiore veniam petat, & sua obsequia ipsi ad omnia offerat.

12. Si charitatem erga aliquam læserit, mox flexis etiam genibus roget sibi condonari offensam.

13. Saepius offerat Patri Divino sanguinem Unigeniti Filii ejus pro peccatoribus, & animabus de salute æterna perclitantibus.

14. Saepius flagitet ab iis, qui amant Deum,

Deum, ut se doceant eundem amorem,
& ea, quæ ex hoc fieri possint.

15. Aliquando assumptis laboribus vi-
libus exponat se risui aliorum, & sic discat
se vincere, ac sibi dominari.

16. Exerceat quandoque publicè ali-
quam mortificationem.

17. Habeat semper mel in ore, qua-
ratione accendetur amor Dei in corde.

18. Obsfirmet suam voluntatem, ni-
hil omittendi, quod Deo placere cogno-
verit, nihil excipiendo, sive concernat
existimationem propriam, sive corporis
commoditates, sive bona externa; quare,
si quis minus ipsam æstimet, eo magis ei
benefacere studeat: item Deo se offerat ad
tolerandos quoslibet morbos, quos immit-
tere sibi voluerit: hinc etiam à se remo-
veat omnia vana: utatur paupere vestitu,
seque ad carendum necessariis quoque pa-
ratam exhibeat. Quæ omnia, ut inquit
quidam eximiae authoritatis Prælatus, P.
Paulus pro suo more non docuerit, prius-
quam ea ipsemet fecerit: ex quo ipso sa-
tis colligi potest, ad quam sublimem
perfectionis apicem eum sua virtus
evexerit.



CA-

C A P U T VIII.

*Charitas P. Pauli erga Proximum,
ac in agendo Suavitas, & Ze-
lus Animarum.*

ERAT frequenter ex P. Paulo audire hoc aureum, ut Eminentissimus Spanda vocat, effatum: *Quod non lucratur amor, nunquam obtinet rigor;* & hinc ipse aliorum corda ad se, & ad Deum attrahere maximè studuit amore, ubique præseferens ardentem erga omnes charitatem, & optimum animum, ex totis viribus suis, imò vix non ultra vires, benignissimè omnes juvandi, atque solandi: certè omnes ad se accedentes suavissimo sinu paterni amoris exceperit. Hanc ejus in agendo cum cuiusvis conditionis hominibus suavitatem omnes, qui ipsum noverunt, mirè deprædicant, atque affirmant, Principes, proceres, atque plebeios, eà mirificè tractos, adeò, ut quandoque eluctari vix posset à turba volentium osculari ejus manus, aut pedes, aut vestem, de qua sæpe resecabant particulas, pro sua devotione servandas.

Ubicunque missionem instituebat, tanta mox charitate cum populo affluente agebat, quasi præter ipsum nullum aliud unquam novisset: & ne ulli displicentiam R. vel

vel levem crearet, abstinebat ab omni facienda comparatione inter parochiam unam, & alteram, aut eorum in functionibus sacris ardorem. Curabat insuper diligentia magna, ut omnes, tam incolae, quam accolae aliunde advenientes, congruum circa pegma locum sortirentur, ubi sacris functionibus interesse percommode possent: & hinc, cum aliqui semel ex errore alterius neglecti fuissent, missis ad eorum Parochium literis culpam quasi suam est deprecatus: quin etiam erat solitus, ne peregrè advectis alimenta, aut necessaria alia, forte deessent: & sanè admiratione digna res fuit, in tanto tot millennium concursu, ob defectum vietus, aut similium, neminem unquam à missionibus fuisse abstractum.

Præcipue autem charitate tenerima peccatores complexus est, idque palam fecit suavissimis signis; quippe credebat, non dubiam fore eorum conversionem, quando amore exhibito eorum corda sibi conciliasset. Hos etiam cum lachrymis commendabat precibus aliorum: in poenitentium supplicationibus, dum pauca quandoque, ut dictum, interloqueretur, eos dulcissime suos charos vocabat: ad se deinceps accedentes summa non tantum mansuetudine, sed etiam suavitate excipiebat, eorumque plagas, ac vulnera, non ferro, & igne, sed leni balsamo persanabat: nec ul-

Ià unquam impatientiâ victus est, aut ab iis juvandis aversus, et si essent non parùm molesti.

Sed & pœnitentibus omnibus insignem charitatem exhibuit. Sic quandam pueram, ut erat omnibus notum, scrupulis miserè vexatam, eadem die sepius reducem, patientissimè, ac amantissimè cōfidentem audivit, et si pluribus negotiis, mox conficiendis, tunc urgetur: & cùm quidam, admiratus hoc factum, cum interrogáset, quomodo toties, & tam patienter eam pueram, & ejus scrupulos, audire potuerit, ipse respondit, hunc morbum non raro curari patientiâ eorum, qui tales confessiones excipiunt.

Pariter amabilissimo modo agendi utebatur erga Curatos, aut Parochos, aliósque sacerdotes, ac animarum Pastores, quibuscum loquebatur summa cùm animi demissione, ac reverentia: qua ratione etiam ovibus ingenerabat magnam illorum estimationem, ac venerationem: & hoc medio efficacissimè Parochorum animos sibi conciliabat, ut ad missionis fructum gnaviter collaborarent, quin etiam ad alias missiones suos copiosè adducerent, etiam ii, qui initio haud erant animo, functionibus illis addicto. Erat autem tam constans moderatio animi, imò dulcedo, eo magis in P. Paulo stupenda, quo is pluribus in missionis decursu obruebatur

negotiis, iisque non raro contrariis, insuper infestabatur molestiis aliis, retardabatur variis objectis impedimentis, & opprimebatur à turbis, importunè in se irruentibus: quibus in omnibus casibus non tantum serenum, sed amœnum, ac amabilem vultum semper ostendere, non est nisi virtutis eximia.

Charitatem autem hanc, & suavitatem, non solis exhibuit exteris, sed etiam, & studiosè domesticis, id est, sociis suis, quos planè complexus est amore prorsus paterno, & quidem erga omnes æquali, ita, ut nulli praे aliis esset singulari affectu affixus, sed omnes communī sinu amanter exciperet. Habuit curam illorum, non quoad animam tantum, sed quoad corpus quoque; unde, et si saepius sibi subtraheret necessarium viatum, non tamen permittebat, ut suis quidquam deficeret. Mensam curabat parari, frugalem quidem, & spirituali lectione conditam, attamen sufficiētem: instabatque, ut comites convenientem sibi cibum accipérerent, itemque congruam de nocte quietem, eamque, quantum occasio ferret, commodam, ut postea pares essent laboribus.

Hinc, quando subierant aliquam domum, in qua hospitarentur, ipse mox visitabat cubicula, atque inspiciebat, an necessariis omnibus essent instructa: quod si aliquem defectum notaret, mox cum supple-

supplebat, cedendo aliis cubiculum melius, quin etiam lectum, aut ejus tegmen, malens, se carere necessariis, quam suos aliquibus congruis. Neque permittebat ipsis austерitates immoderatas, neque concedebat, ut extra functiones consuetas pedibus nudis incederent: neque etiam patiebatur, ipsos in animo fovere tristitiam, aut in vultu præferre moestitiam, aut cogitationibus fixis diu immergi.

Quando aliquid præcipiebat, quod erat necesse, id magna cum suavitate jubere solebat: quando autem quis committebat errorem, aut ab ipso ordinata non rite exequebatur, cum quidem verbis quibusdam moderatè reprehendebat, vel imponebat aliquam poenitentiam levem: quin etiam, ad dandam occasionem exercenda virtutis, improbabat quandoque ea, quæ non malè fuerant facta: at statim, ut eum, quem castigaverat, videbat submissum, & patientem reprehensionis, excusabat se modestè, ac suaviter, adeò, ut illum redderet sibi magis addictum.

Hæc autem incensissima in proximos charitas radix fuit, atque origo ferventissimi zeli, quo urebatur, ac incitabatur, ad procurandum ijs, etiam per immanes labores, maximum bonum, id est, animarum salutem, & avertendum ab ijs maximum malum, seu damnationem æternam. Ardor hic jam à primis annis vitæ religiosæ cœ-

pit in ipso flagrare , & fuit semper magis accensus , non tantum frequenti oratione , & meditatione , sed etiam ignis colloquijs , cum patruo hac de re institutis , à quibus totus quantus inflammabatur amore Dei , & proximi , ac zelo istum salvandi ; unde , dum adhuc Romæ ad S. Andream studeret Rheticæ , consentiente P. Thoma Magni , Spiritus ibi Præfeto , viro , excellenti virtute , & Sanctorum scientiâ prædito , votum emisit , ad missiones , sive ultramarinas , sive Europæas , Superioribus se offerendi .

Formula autem voti hæc fuit : *Omnipotens , sempiterne Deus ! Ego Paulus Segueri , licet divino tuo conspectu indignissimus , fretus tamen pietate , & misericordia tuâ infinitâ , & impulsus tibi serviendi desiderio in Societate Iesu , ad quam me misericorditer vocasti , juxta spiritum , qui in ejus Constitutionibus exigitur , non tantum propriam , sed etiam proximorum omnium in quavis mundi plaga salutem ac perfectiōnem procurandi , coram Sanctissima Virgine Maria , & Curia caelesti universâ , præsertim SS. Ignatio , & Francisco Xaverio (quos si eut imitari procure , in hoc peragendo ob amarum zelum , itâ eorum desidero patrocinium idipsum ad explendum) voveo , aspiraturum me ad missiones , ut vitam in eis perpetuò degam , vel inter Catholicos , vel inter hereticos , vel etiam inter infideles , prout*

prout placuerit Superioribus Societatis, qui-
bus hoc meum votum semel saltē singulis
annis presentabo, postquam Theologie Cur-
sum aggressus ero, tibique uni, & trino Deo
singulis hebdomadis tribus vicibus in hono-
rem Trinitatis Personarum renovabo. A tua
ergo pietate, & clementia, per IESU Christi
sanguinem, ardenter animarum ze-
lum, peto suppliciter, ut vires cumules vo-
to pares, meorumque veniam tribus pecca-
orum. Amen.

Hanc promissionem Numinis factam
quam exactissime servavit, & quantum in
ipso erat, sedulò egit, ut ad missiones de-
stinaretur. Unde, quod alijs quandoque
plurimum solet placere, ipsi displicuit, si
nempe insignes suas dotes magni fieri cer-
neret; quia timebat, ne propterea in ca-
thedrali, seu ecclesiasticis, seu scholasticis,
intra urbes celebriores detineretur, nec si-
neretur evangelizare pauperibus, & rusti-
cis pagis. Si quis autem miraretur hunc
ejus ardorem, in desiderando ministerio hoc
Apostolico, solebat reponere, scire se,
quid sibi dixerit patruus suus, seu P. Pau-
lus Segneri senior; quippe coram hoc, pau-
lo post morituro, votum hoc renovavit, &
quidem nova hac sponsione adjecta, quod,
si expeditionibus sacris admoveretur in Ita-
lia, eas instituere velit juxta methodum
a patruo usurpatam: quæ pietas nepotis
optimo seni magnum solatium attulit. Ut

autem charitas ejus non solum ad animas, verum ad corpora quoque extenderetur, votum insuper aliud edidit, nempe inserendi postiferis, si occasio sese offerret. Cæterum, et si plurimum æstimaret missiones ultramarinas, adeò, ut aliquando P. Oliverio scripsérat, se promptum esse, vel tabellarij ad Indos munere fungi, tamen videtur peculiari instinctu ad Italos emendandos vocatus fuisse.

Postquam autem voti damnatus, ac Italicis expeditionibus fuit admotus, perrexit semper magnam in animo suo fovere sacri hujus ministerij æstimationem, quæ excitavit in ejus corde sanctum timorem, aut negligentiam, aut alijs peccatis, gratiam obtentam perdendi: simul etiam desiderium ingens, hoc suum munus ulterius, ac magno semper fervore exercendi: & hinc cuidam ipsum animanti, ut non desisteret ab optimè cœptis, respondit, se optare, ut usque ad extremi iudicij diem lemissionibus possit impendere. Alteri vero ad Lauretanam peregrinationem se invitanti rescripsit, datam sibi à Deo esse occasionem, tempus suum quam optimè divino obsequio impendendi, ita, ut nil ultra desideret, quam, ut cælum pergit benedicere suis conatibus: & hinc se nec per unum mensem destitutum ab inceptis laboribus. Alij per jocum obijcenti, ipsum officio Missionarij nimis esse affixum, reposuit, verum

rum quidem hoc esse: attamen tale utique esse hoc munus, ut mereatur amari.

Intuebatur scilicet optimus Pater misericordem interitum hominum innumerorum, in æternam perniciem se precipitantium; & hinc animus ejus, tenerrima compassione transfixus, summè dolebat, ac ab amicis preces poscebat, quibus juvarentur peccantes, & à lapsu erigerentur: econtra verò dæmon cum omni peccato prosterneatur, ipsem quoque juvaretur, ut plures è potestate dæmonis posset eruere, & Christo Servatori vindicare: imò scripsit cuidam, esse spectaculum sanè triste, & omni compassionē dignissimum, aspicere homines, sanguine divino redemptos, in cæcitate cordis maxima vivere, & cæcorum more ad inferos ruere.

Addidit, totum id, quod ipse in missionibus præstet, quasi nihil esse, si comparetur cum summa necessitate innumerorum animarum extremè indigentium; hinc oret Deum, ut se jubeat mori, vitæque suæ annos, item talenta, & vires, qualescumque sint, attribuat alteri, qui majus animarum lucrum esset facturus: quarum interitum impedire si posset, libenter se passurum dolores, morbos, tribulationes, atque alia mala, quæ Deo placeret immittere.

Interim tamen æstimabat se valde felicem, quod sibi cooperari liceret ad peccatorum
R s

torum conversionem; hinc Deum per Santos ferventer rogabat, ut sibi concederet, posse ad ultimum halitum usque laborare pro animarum salute. Certè Senogalliz inter sic dicta memorialia, à populo, post concionem de laudibus B. Virginis habitam, eidem cælorum Reginæ pro more oblata, inventum quoque est folium, in quo P. Paulus à Matre divina sibi petebat hanc gratiam, ut missionis laboribus immoretur. Alia in charta conscripserat suum propositum, orandi quotidie Deum, ut post peccatores quamplurimos à se conversos, vitam, si non pro fide (quod in Italia prorsus Catholica sperare non posset) saltem pro charitate proximi, profundere posset.

Non dubitabat, ob spem lucrandæ etiam unius tantummodo animæ plures difficultates, molestiasque subire; hinc, si quando socios subtristes videret; eo quod missio in uno, vel altero loco, haud æquo animo exciperetur, solabatur eos dicendo, tamen aliquid boni præstandum, & unam, vel alteram animam, è dæmonis unguibus esse eruendam: hoc autem jam sufficere, ut bene impensi censeantur omnes conatus, etiam usque ad defatigationem exhibiti. Nunquam sibi indulgebat quietem, eratque ejus vita continuatum martyrium, cui ferendo non erat par, nisi fortitudo Apostoli.

Prohibebat in campum, qualiscunque tandem esset tempestas: pluvia, an siccæ, calida,

calida, an frigida, nil pensi habebat: neque etiam curabat ullam asperitatem viarum: sed nec se impediri sinebat ullis obloctionibus, persecutionibus calumnijs. Quodsi autem impedimentum quoddam insuperabile obiseretur, dolebat gravissime, adeo, ut aliquando amico fuerit fassus, si minus ægrè laturum fuisse magno numero verbera, à diabolo sibi inficta, quam eruptam sibi occasionem boni in proximum conferendi.

Neque tantum publicè, atque in acie, zelum suum exerebat, verùm etiam domi, & intra urbes, ubi, vel in xenodochijs ægrotos, vel in carceribus vincitos, omni modo, quantum ipsi possibile erat, consolabatur, atque juvabat. Eandem charitatem vel maximè quoque exhibuit infirmis ex Societate, eadem in domo versantibus, quos ad patientiam dulcissimis verbis animavit: quem in finem eos saepius per diem invisere suevit, manè præsertim horâ meditationis finitâ, ut nempe ab adorato Numine ad proximmo serviendum transiret. Si aliquando contingenteret, ut opem, quæ postulabatur, ferre non posset, tunc conabantur, precibus saltem misericordiam Dei miseris, & afflictis exorare: & præsertim pro peccatoribus, itemque pro sancta Ecclesia, atque etiam pro Societate, cuius dignissimus filius erat, assiduis orationibus cælo supplex est factus.

Quin

Quin etiam, ut concionibus suis impretraret vim efficacem, ad permovendos audientium animos, peculiari devotione certorum Sanctorum patrocinium imploravit; nam in charta quadam ab ipso scriptum inventum est, sibi esse confugiendum pro felici successu concionis de morte ad S. Franciscum Borgiam, utpote conversum aspectu cadaveris Isabellæ Imperatricis: concionis de inferno ad S. Theresiam, ad eas poenas videndas adhuc in hac vita abductam: concionis de poenitentia ad S. Ignatium, Manresana in crypta poenitentem: concionis de paradyso ad S. Aloysium, à S. Magdalena de Pazzi cœlesti in gloria visum: concionis de B. Virgine ad S. Stanislaum, ab ipsa cum divino infante visitatum &c.

Scilicet vir Apostolicus prorsus nil omittebat, quod poterat animarum saluti, & gloriæ divinæ promovendæ servire, insuper habitis laboribus, molestijs, ac injurijs omnibus, adeò, ut ejus sepulchro epitaphij loco potuisset inscribi illud. *Psalmi 68. v. 18. Zelus domus tua comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Verum ardor zeli istius magis clarescet ex jam dicendis de methodo, praxi, labore, ac fructu sacrarum missionum, à P. Paulo institutarum, & spiritualium Exercitorum, ab ipso explicatorum.

—၁၀၇—

CAPUT

C A P U T IX.

Methodus in Missionibus Instituen- dis à P. Paulo adhibita.

NON alia methodus missionum insti-
tuendarum fuit P. Paulo juniori, quām,
quæ olim ab ejus patruo P. Paulo se-
niore fuit adhibita; hanc enim ille con-
stanter retinuit, nulla, nisi quandōque levi,
eaque accidentaria facta mutatione, quān-
do major utilitas populi, vel missionis ipsius
id exigebat. Itaque quando de missione
alicubi instituenda erat conventum, & dies
statuta advenerat, P. Paulus, ac ejus loci,
habitu peregrinantium, & nudis pedibus;
ad portam, seu loci ingressum, sese siste-
bant, ibique à Clero, & Episcopo, vel ejus
Vicario, aut alio primario viro Ecclesia-
stico Crucifixum tenente, itēmque à Con-
fraternitatibus, vestes sibi peculiares indu-
tis, excipiebantur.

P. Paulus mox flexis humillimè geni-
bus venerabatur Episcopum, vel quisquis
ipsi Crucifixum offerebat, atque hunc ex
ejus manibus accipiebat, tum eo in altum
sublato incipiebat Lytaniaς præcinere, ac
supplicationi, ad Catedrale, vel aliud præ-
cipuum templum ducendæ, initium facere,
& sequenti ordinariè populo multo præire.
Post adoratam ibi SS. Eucharistiam, & re-
citatum

citatum hymnum: *Veni Creator Spiritus:*
 vir Dei consenso pugnante, eum in finem
 eretto, invitabat omnes ad poenitentiam,
 verbis, aut Propheticis, aut Apostolicis:
Convertimini ad me, & salvi eritis. Isa. 45.
v. 22. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce
nunc dies salutis. 2. Cor. 6. v. 2. subinde in-
dicabat, quæ functiones diebus sequenti-
bus essent peragendæ: & hoc facto se re-
cipiebat in Collegium Societatis, siquod
eo loco daretur, aliás in hospitium aliud
sibi paratum, quod cupiebat minus esse ex-
*positum publico foro, aut omnium ocul-
 is, ut, quibus liberet, fidentius eum pos-
 sent accedere.*

Altera die manè invisebat Episcopum,
 vel alium ex Clero præcipuum, item urbis,
 aut loci Præfectum, aliósque Magistratus,
 quibus sua deferebat obsequia; quippe his
 semper solebat exhibere reverentiam sum-
 mam, & parem submissionem. Eodem die
 horâ 18vâ Italicâ (quæ mensibus illis, qui-
 bus missiones instituebantur, correspondet
 ferè nostræ Germanicæ secundæ, vel mediæ
 secundæ pomeridianæ) accedebant Missio-
 narij locum, functionibus sacris destina-
 tum, ubi populus jam expectabat, & suo
 ordine stabant parochiæ, aliunde prælatis
 labaris advenientes: quæ tamen labara aliud
 non erant, quam icones B. Virginis, à P.
 Paulo hunc in finem donatae.

Locus autem hic erat, aut ingens fo-
 rum

rum, aut campus apertus; neque enim Ecclesiæ poterant capere tantam multitudinem hominum. Circa pegma, sive sic dictum theatrum, ita ordinatè cuncta disponebantur, ut separatim viri, & foeminae, nobilitas, & plebs, Clerus Sæcularis, & Regularis, itemque piaæ confraternitates, inventirent congruum locum: qua in re mirabilis fuit dexteritas sacerdotum illorum, qui P. Paulum erant secuti, quos insuper viri quidam, eo loco primarij, à Magistratu submissi juvabant. Dum autem campagna Cathedralis Ecclesiæ populus ad exercitationes sacras convocabatur, alternatim à Musicis, & populo, pia carmina decantabantur.

His finitis P. Paulus pegma, seu theatrum scandebat, ad cujus pedes stabat quædam persona, confraternitatis cujusdam vestem induitæ, & Crucifixum erectum sustentans. Exinde vir Apostolicus populum alloquens ajebat, melius medium vincendi peccatum (quod tanquam finem intendet missio) haud esse, quam patrocinium Matris divinæ: dumque hoc diceret, promebat devotam imaginem Immaculatissimæ Virginis, eamque omnibus exponebat collendam. Proposito hac ratione vexillo, sub quo militare deceret, addebat, opus esse & armis, quibus pugnarent: hæc autem alia non esse, quam quibus usus fuisset ipse

ipse Servator, spinas scilicet, funes, & flagra.

Hæc dum dicebat, simul exuebat tunica-
m suam, & apparebat indutus toga alia
interiore, at tergore nudo, insuper funi-
bus cinctus ad instar rei, & pœnitentis:
imprimebat fortiter coronam spineam ca-
piti, & apprehenso flagello ferreo, quod
appellabat *sancum gladium, manus à Deo*
z. Macchab. 15. v. 16. sibi datum, inde-
bat bellum peccato sub protectione cælo-
rum Reginæ, incipiebatque canere hym-
num: *Ave Maris stella:* séque asperrime
flagellare. Hoc missis exordium ordi-
nariè jam lachrymas eliciebat ex oculis, &
audientium animos saluberrima compun-
ctione sauciabat, adeò, ut mox multi ad
remedium confessionis sacramentalis ac-
currerent.

Post hæc pretioso sub conopeo inter
ardentia lumina, à sacerdote, comican-
tibus honoris causâ designatis confraterni-
tatis cuiusdam sodalibus, vel alijs honora-
tis personis, afferebatur SS. Evcharistia Sac-
ramentum ad portam vicinæ Ecclesiae,
quod populus omnis prostratus in genua
adorabat: Pater Socius autem P. Pauli post
pauca aliqua dicta, ad Dei ibi absconditi
adorationem magis incitania, jubebat di-
ci Pater, & Ave, & ultimam hymni ev-
charisticæ stropham: *Tantum ergo Sacramen-*
tum: inde benedictio impertiebatur, pro-
more

more in formam crucis ducendo SS. Eucharistiam, quæ mox reverenter in tabernaculum suum reportabatur.

Tum verò P. Socius in pegmate majo-
re, è quo se jam priùs P. Paulus demiserat,
ordiebatur concionem de aliqua veritate
fidei practica, & multùm conducente ad vi-
tam æternam, ac apta ad intellectum illu-
minandum, & voluntatem inflammmandam.
Commotos oratione efficacissima viros in-
vitabat secum ad templum, ubi post breve
alloquium, quib[us] denuo animi incendeban-
tur, ab omnibus fiebat flagellatio publica,
qua ex lapideis etiam cordibus, ut olim ex
petra in Horeb, copiose lachrymarum aquæ
executiebantur. Interim fœminæ, circa pe-
gma manentes, à P. Paulo familiari instru-
ctione ad explendas sui statûs obligationes
erudiebantur, & excitabantur, donec viri
è templo redirent: qui reversi à viro Dei
ad perseverandum in bene cœptis anima-
bantur, simul autem invitabantur, vel ad
functiones sequentis diei, vel ad supplica-
tionem pœnitentium, eo adhuc vespere in-
stituendam, si quæ tunc esset futura.

His ità actis auditores jubebat domum
redire, & quidem eo ordine, ut, quo re-
motior erat parochia, eo discederet citius:
Parochus autem primò vocatus, superpel-
liceum, ac stolam indutus, facta profun-
da inclinatione, ante imaginem ibi exposi-
tam, vel prostantes sacras Reliquias, inci-
piciebat

S

Digitized by Google

piebat præcinere: *Sancta Maria ora pro nobis.* Eum sequebantur primò puellæ, duæ, & duæ, cum labaro B. Virginis: post has modo eodem incedebant aliæ fœminæ: tum Crucifixus præferebatur viris, vestitu confraternitatis indutis, ac tandem incedebant alij omnes, parochiæ illi adscripti. Simili modo dimittebantur parochiæ aliæ peregrè advectæ, priùs, aut posteriùs, prout magis, vel minùs diffitæ erant: quare absque ulla perturbatione, aut confusione omnia finiebantur, & quidem tribus horis ante solis occasum, ut omnes possent domum venire, quin noctu iter agere esset necesse.

Manè verò sub auroram, tam incolæ loci, quam parochiæ advenæ (quæ tamen, si ultra Italica millaria quina distarent, non invitabantur) institutis pijs supplicationibus conveniebant, in designatum aliquem campum, ubi exponebatur publicæ venerationi velum B. Virginis, & alternatim à Clero, & populo, cantabantur laudes cælorum Reginæ: tum à P. Socio narrabatur quædam historia, ad inflammmandam in auditorum cordibus Marianam devotionem idonea: & in fine præsentes ardenti affectu commendabantur misericordissimæ Matri divinæ.

Succedebat concio de re quadam magni momenti, ut de reverentia Ecclesijs debita, de dilectione inimicorum, de liberorum

rum educatione, aut simili gravissimo themate, quam P. Paulus habere solebat, ardore magno, & suavissimis verbis, è corde inflammato prodeuntibus, ac aliorum animos vehementer urentibus, adeò, ut efficacissimè omnes moveret: certè, quando post concionem, de venia inimicis necessariò danda, invitabat præsentes ad mutuam reconciliationem, subitò publicè plures rogabant, dabántqüe invicem veniam injuriarum, sëque amicè amplectebantur, etiam ij, qui plurium annorum odia foverant.

Similiter post sermonem, de pietate parentibus, ac liberis debita habitum, videbantur filij, ac filiæ, & quidem sæpius jam provectæ ætatis, genibus ante progenitores publicè flexis, deprecari inobedientiam suam, ac alia juventutis delicta, simulque paternam, aut maternam, humiliiter petere benedictionem: quæ res parentes etiam nobiles, cordatos, & minimè molles, ità commovit, ut lachrymas tenere non posseant.

Fuit autem ad P. Pauli conciones ingens affluxus, adeò, ut sæpius nemo ab ijs vellet absēre, & relictis negotijs, ac clausis officinis accurrerent: iisque durantibus stupendum semper fuit silentium. quasi (prout cuidam scribere placuit) campus, aut Ecclesia populo plena, fuisset solitarium monasterium Carthusianorum. Stabant

S 2

audi-

auditores s^epe tribus integris horis, statuarum instar immobiles, sive pluviae caderent, sive sol calidior caput feriret, adeo, ut Illustrissimus Dominus Falconcinius asserat, eos etiam super spinas staturos fuisse, ut illum possent audire; quippe in dicendo erat tam suavis, ut rustici quoque pastores, audita ejus morte, dixerint, ipsum in vita sermocinantem verba inaurata fusisse.

Animare solebat vir Apostolicus suos sermones iconismis quibusdam propositis, vel damnatae in inferno animae, ad incutendum peccati horrorem, vel sacri, ut vocare solent, Vultus, id est, Christi Domini, spinis, livoribus, plagis, & sanguine pleni, ad excitandam compassionem erga Deum, pro nobis indignissima passum: saepius tamen exponebat, aut sacram particulam veli B. Virginis, sibi a Serenissimo Hettricæ Duce donatam, aut particulam sacrae crucis, ab ipso Summo Pontifice Clemente XI. submissam.

Vis autem præcipua ad commovendos spectantium animos inerat nocturnis pœnitentium supplicationibus; id enim testabatur experientia frequens, adeo, ut quidam sacerdos quosdam pœnitentiæ indigos, & ab ea alienos, hortaretur ad spectandam talem aliquam supplicationem: quam postquam oculis attentis considerarunt, ita commoti sunt, ut faterentur, se ex pluribus

bus concionibus, in quadragesima habitis, tantum fructum relatuos non fuisse: & quidam peccata, per quindecim annos sacrilego silentio tecta, confessario tandem aperuit.

Hæ supplicationes ordinariè instituebantur dimidiâ horâ ante solis occasum, & ad eas conveniebat Clerus, & populus, præsertim piæ confraternitates, omnes pœnitentium habitu, & ordine suo incedentes. Quidam spineas coronas in capite, & funes in collo portabant: alij crucis in humeris: alij se ad sanguinem usque flagellabant. Ultimus P. Paulus gradiebatur, caput, & vultum obtectus quadam lugubri vitta, crasso fune collum, & medium corpus incinctus, pedibus verò, ijsque nudis, alligatum trahens grandem catenam, strepitu magno, nec minore labore, imò periculo, ne eâ hinc inde in lapides impaetâ ipse improviso corrueret: insuper tergus nudatum flagris inclemetissimè dilacerabat.

Sequebantur binæ, & binæ Matronæ nobiles, vestitu lugubri, & vultu velato, quibus una ex primarijs præferebat Crucifixi imaginem: post has ibant puellæ, aliæque mulieres, appositis cuique earum de-nario suis facigeris, & attentis ad omnia duobus jam grandævis nobilibus viris: reliquus tandem populus supplicationem claudebat. Quando autem veniebatur ad aliquod forum, aut alium locum capaciorem,

omnes mirabili ordine mox sistebantur, & quidam sacerdos flebili voce promebat unum, & alterum versum, veritatem quandam æternam in se complexum.

Tum P. Paulus, omissa paulisper diversione, & vittâ à vultu reducta, brevissimo, sed efficacissimo simul alloquio, sacerdotis dicta paulo magis explicabat: quæ omnia in illo noctis silentio miros in cordibus motus, ac in ore gemitus, & in oculis lachrymas excitabant, accedente præsertim sub finem flagellorum strepitu, quæ vir Dei denuo toto brachij nisu sibi incutiebat. Et sanè in una talium supplicationum, simili brevi exhortatione, & ostenso sacro Chisti Domini Vultu (de quo suprà est mentio facta) ità commotæ fuere aliquæ Dominæ, ut domum reversæ mox omnem vanum in vestitu ornatum abjecerint, obfirmato animo, eum nunquam reassumendi.

Post cantatum denique quinquagesimum psalmum rursus ordine suo supplicatio progrediebatur, donec rursus ad aliam quandam ampliorem plateam, aut locum stationi faciendæ idoneum deveniretur: ibique iterum, ut priùs, brevi allocutione, flagellatione, ac cantu, fervor novus accendebar: idemque rursus alio loco ter tia vice fiebat: cum verò P. Paulus viris retentis, aut in vicinam Ecclesiam ad gratias evcharistico Deo agendas ingredi jussis,

sis, fœmias domum remittebat, monitas, ut binæ, & binæ, simul per viam recitarent Marianam coronam: eas autem usque ad platearum, in quibus habitabant, capita, facigeri comitabantur. His digressis redditum etiam indicebat viris, quos pariter hortabatur, ad dicendum in via Marianum rosarium: sicque functio tota duabus post solis occasum horis, seu iuxta horologium Germanicum, mediâ decimâ, vel decimâ nocturnâ absolvebatur.

Tales supplicationes intra dies decem, quibus missio quævis durare solebat, quatuor, aut quinque instituebantur, in quibus adhibebatur quandoque varietas aliqua accidentaria, prout judicabatur congruum esse, excitandis ad pœnitentiam populis. Earum autem occasione, aut etiam solo aspectu, magnorum saepe peccatorum durissima pectora ad agendam pœnitentiam veram emolliebantur. Sic in quadam civitate Hetruriæ aliquis per decem jam annos abstinuerat impiè sacra exhomologesi; eoquod eam facere nollet, priusquam inimicum suum stravisset, aut certè vindictam aliam gravem de ipso sumplisset: obfirmaverat autem in scelere animum impia hac cogitatione: Alicui Domino per totam æternitatem subesse debebo: si ve jam Deus sit, sive diabolus, nihil refert.

Hic dum, nescio quo casu, pœnitentium
S 4

tiū supplicationem spectāsset, itā commotus est, ut ad sacrum tribunal se conferens, scelera sua, ac statum scelestum, tanta contritione, ac tantis lachrymis exposuerit, ut confessarium quoque collachrymari coegerit: & hic potius poenitentem solari, quam ad poenitendum hortari debuerit. Evidēt hæ supplicationes multis, etiā magnis viris, quando iis necdum interfuerant, non fuere probatae: at, postquam experientia edocti sunt, ingentis per illas fieri bona, & mirum in modum promoveri peccatorum conversionem, aliter de iis sentire, easque miris laudibus celebrare cœperunt: certè quidam Episcopus, antea ab iis tam alienus, ut vix non propterea missionem recusaverit, postea tamen, cum eas vidisset, adeò est immutatus, ut iis multas panegyres diceret.

Functiones diurnæ stabiliter fiebant eodem, & ordine quoque eodem, nisi quodd penultima die tempore doctrinæ catecheticæ, alias tradi solitæ, P. Paulus sermonem haberet de laudibus B. Virginis, & devotione erga eandem: qua de causa etiam loco SS. Evcharistæ exponebatur publico cultui velum ejusdem Matris divinæ. Ultima die peragebatur generalis communio, ad quam quandoque viginti tria, aut viginti quinque millia hominum accedebant, & inter hos nobilissimi quique, Mutina etiam Serenissimi Duces. Eodem die Pontificia

tifica benedictio quoque dabatur, in ampio quodam foro, aut campo aperto: & ad eam erat concursus prorsus copiosissimus, ita, ut ad S. Quiricum prope Lucam ad quadraginta hominum millia adfuisse sit creditum. Quando tandem P. Paulus post data ultima monita valedicebat, erat comploratio ingens, & resonabant undique gemitus, atque suspiria; quare, ne detineretur, non admisso ullo comitatu iter ingressus, omnium oculis se raptim subduxit.

Hanc missionum methodum plurimum quoque commendavit P. Joannes Petrus Pinamontius, olim P. Pauli senioris dignissimus socius: & hac post P. Pauli junioris mortem deinde sunt usi ejus in officio hoc Apostolico successores, qui eam ubique experti sunt esse aptissimam, commovendis ad pœnitentiam populis: certè PP. Lana, atque Crivellus in missione Ferrarensi, ad hunc modum instituta, præter alia plurima bona, etiam effecerunt, ut viginti quinque meretrices ad agendum pœnitentiam se sponte incluserint: item PP. Constantius, & Lancellotus, Corsicam discordiis intestinis purgârunt, quæ sanè erant gravissimæ; namque ex publicis tabulis fuit rescitum, quod viginti quinque annis proximè elapsis triginta millia homicidiorum patrata sint: durante autem missione ad dictos Patres allata sunt virgin-

ti millia sclopetorum, & longè plura alia
arma latronum, pugiones, gladii, & simi-
lia humanarum cædium instrumenta ne-
fanda: communique voce est conclama-
tum: Vivat pax, seu concordia.

Ut hæc methodus innotesceret quoque
Germaniæ, anno 1714. ad petitionem Se-
renissimæ Electricis Palatinæ Annæ Ludo-
vicæ, Serenissimi Hetruriæ Ducis Cosmi
III. Filiæ, ex Provincia Germaniæ Supe-
rioris in Italiam missus est R. P. Georgi-
us Lofferer, qui ibi variis missionibus ad-
fuit, non quidem, quibus P. Paulus præ-
terat (quippe jam in Domino obierat) sed
quæ ab ejus successoribus habitæ sunt:
atque methodum omnem exactè perdidi-
cit. Inde reversus in patriam cum R. P.
Conrado Herdegen (qui missionum amo-
re officio Rectoris Tridentini, se abdica-
vit) in Palatinatu inferiore, ità volenti-
bus Serenissimis Electore, & Electricæ,
Missionarii munere fungi incepit.

Initio, ut rebus novis semper accide-
re solet, graves Patribus difficultates fu-
re objectæ: at per gratiam Dei omnes sunt
superatae, adeò, ut secundissimo cursu,
& copiosissimo fructu, functiones suas ob-
irent, prout ipsimet Romam ad Genera-
lem Societatis scripserunt, & alii quoque
testati sunt, ità, ut hæretici etiam expe-
ditiones has sacras multùm laudarent, &
Serenissimus Elector (qui unà cum Sere-
nissima

nissima Conjuge missioni Dyseldorfii habita, optimo exemplo interesse dignatus est) inter copiosas lachrymas Patribus gratias egerit, ob plurima bona sibi, ac suis subditis praestita, Plura de his missionibus hic non adduntur; quippe paucis omnia pro dignitate dici non possunt, & in multa diffundi, brevitas praefixa non patitur: quae tamen modò sunt indicata, satis ostendunt maximam utilitatem missionum, ad hanc normam institutarum.

C A P U T X.

*Fructus ex Missionibus à P. Paulo
Institutis, & Exercitiis ab ipso
traditis relatus.*

Quantos vir Dei Apostolicis suis laboribus fructus protulerit, plenè resciri minimè potuit; cum plurimi, ac maximi, arctissimo sacramentalis sigilli silentio absconditi manserint: alii, qui ad etiamnum viventes spectant, certas ob causas narrari non possint: alii ob nimiam eorum copiam, ac inter se similitudinem, conscripti non sint: certè D. Lomellinus ad P. Oliverium scripsit, conversiones insignes peccatorum, & extintas gravissimas inimicitias, fuisse ita frequentes, ut propter assuetudinem ad eas nulla

nulla amplius attentio fieret: insuper socii, aut comites P. Pauli, semper occupatissimi, potius solicii erant, ut scribenda facerent, quam facta conscriberent: interim tamen ea modica pars, quæ in publicam notitiam venit, verè est ingens, & vel illi fructus, qui hucusque in hujus lucubrationis decursu recensiti fuere, merito in admirationem quemlibet rapiunt.

Addenda tamen veniunt aliqua ex multis peculiaria. In missione quadam intra Hetruriam visa est tanta in omnibus compunctione cordis, ut vel faxa ad lachrymas posset movere: alibi tam asperè se flagellabant, ut P. Paulus omni sua auctoritate eos inhibere debuerit ab ulteriore sui Ianienâ: quin etiam ipsi Religiosi longo ordine incedebant publicè se flagellando, aut poenitentia insignia alia præferendo. Alibi sacerdos, in pegma prossiliens, sequens publicè, ac asperè ibi flagellans, magis sonoris iictibus, quam altis vocibus, veniam scandalorum à se priùs datorum rogavit. Fœmina quædam, scienter peracta confessione non integra, & sacra communione indignè recepta, jam admiserat sacrilegium geminum; cùm vix à sacra mensa exurgens, & populum præsentem aspiciens, atque ejus devotionem piissimam cernens, intra se cogitavit, an, dum alii omnes inter brachia Dei quiescunt securi, ipsa sola infelix velit teneri Luciferi unguibus: quæ

quæ cogitatio tantam vim habuit, ut mox ad sacrum tribunal recurreret, ac de omnibus noxis legitimè se accusaret. Eadem postea plures ad missiones circumiit, & de se dignum pœnitentiaz spectaculum præbuit.

His accedunt heroicæ illæ victoriæ, quas de seipsi retulere quam plurimi, dum peccata, sæpe pluribus annis sacrilego silentio pressa, tandem in confessione aperuerunt, Imò Aretii duæ meretrices publicè se sunt tales confessæ, & veniam scandali à se dati humillimè petierunt: alibi etiam quædam personæ peccata sua palam fateri paratæ fuerunt: certè fœmina, juxta famam communem pudica, at in secreto valde lasciva, volebat publicè scelerum suorum eousque occultorum veniam petere: at Pater id vetuit, jubens eam pœnitentiâ occultâ piare, quæ occultè mala patrâsset: tum ipsa reposuit, quid sibi profidet, quod non esset peccatrix in oculis hominum; cum tamen in conspectu Dei sit talis?

Alia fœmina P. Paulo attulit annulos, & alias gemmas, pretium vitæ impudicæ eousque exercitæ, ut receptæ ex eorum venditione pecuniæ erogarentur pauperibus: Patre autem recusante acceptare eam oblationem, in manus tertii res illæ depositæ sunt; namque mulier quantumvis pauper nullatenus illos volebat recipere,

re, sed prius millies mori præ fame, quam suæ luxuriæ stipendiis ali. Similes his fuere victoriæ aliæ, dum quidam, vehementissimo ad vindictam pruritu suppresso, veniam, ac pacem inimicis dedere: aut alij calcatis millenis humanis respectibus proximam peccandi occasionem vitârunt: aut injustè ablatum etiam multum æs alienum promptissimè restituerunt: aut lusu, ad varia scelera se incitante, in perpetuum sibi interdixerunt, & chartas, ac aleas, non tantum proprias, sed plures de novo coemptas, in forum ibi comburendas tulerunt.

Maximè autem fructus fuit insignis, quod periculosi juvenum utriusque sexus conventus, & congressus amantium, aboliiti fuerint, inductis quamplurimis, ut firmissimum propositum pericula illa vitandi Matri divinæ offerrent: quod à pluribus etiam proprio sanguine fuit conscriptum. Quin Pescinnensi in Dioceesi quidam tantum peccati horrorem ex missionum concessionibus conceperunt, ut per errorem invincibilem sibi persuaserint, licitum esse, se ipsum occidere, ut quis periculis peccandi se liberet: idque re ipsa exequi jam destinaverant: nec parum laborandum fuit sacerdoti cuiusdam, ut erroneam opinionem ipsis eximeret.

Nec tantum à vita peccaminosa ad probam, sed etiam ab hac ad omnino sanctam,

occasione missionum complures fuere perduci. De D. Jacobo Lomellino jam *L. s. c. 10.* dictum est. Meretur huic adjungi alter, & ipse ex Illustrissima Genuensi familia D. Joannes Bernardus Raggius, qui Sazanensi in missione à mundi vanitate penitus abstractus, post confessionem generalem cum ingenti prorsus cordis contritione peractam, cœpit agere vitam optimi revera exempli: repudiata mensa lautiore, & rejectis vanis nobilium oblectamentis, devotioni magno fervore se dedit, & quidem constanter usque ad mortem, quam obiit Genuæ, cum fama virtutis plusquam ordinariæ, adeò, ut nobiles plures, tam mares, quam fœminas, ad sequenda sua vestigia, potentissimè traxerit.

Verùm non solùm P. Paulus magnum fructum fecit in ijs, qui fementi verbi divini excipiendæ corda paraverant, sed in ijs quoque, qui petrarum instar eam admittere recusabant, seu missiones aversabantur. Sic Mutinæ quædam ex matronis primoribus, auditâ famâ de missione futura, ei plurimum obloquebatur: at, cùm postea ei interfuisset, mox tota quanta mutata est, & Patrum hospitium adiens, coram multis nobilibus, gravibusque personis, genuflexa veniam dicacitatis suæ rogavit, ac, quæ malè effurierat, revocavit. Alius ibidem jam priùs à Patribus Societatis aversus, missionemque eorum exosus, postquam

quam quibusdam functionibus adfuit (seu sponte, seu coacte id fecerit) & ipse longe aliter sensit, & publice sui erroris veniam petijt: cumque suggereret aliquis, potius occulte id faceret, voce elatiore respondit: *Non erubesco Evangelium. Rom. 1. v. 16.* quin penitus mutatus in melius, ut maiorem adhuc fructum colligeret, ad alia quoque loca auditor futurus Missionarios est infecutus.

Huc maximè spectat testimonium insigne, quod de fructibus, à P. Paulo relatìs, dedit Reverendissimus P. Ludovicus Maraccius Clericus Congregationis Matris Divinæ, qui post missiones, in Diœcesi Lucensi, ut dictum est, habitas, Eminentissimum Horatium Spadam Episcopum, visitationi ovium suarum intentum, est comitatus; hic enim scripto fuit testatus, mutationem morum in melius fuisse universalem, in omni hominum conditione: post viri Dei discessum omnem locum ab eo excultum speciem Ninives poenitentis præferre: ubique occurrere spinas, & alia castigando corpori instrumenta idonea, in poenitentium supplicationibus prius adhibita: nullas amplius audiri blasphemias, aut imprecations, sed in plateis, domibus, & agris, resonare cantilenas devotas: piam modestiam, tam conjugatorum, quam juvenum, movere ad teneras lachrymas: non frequentari amplius lusus, aut hosi-

hospitia, vel conventus periculosos amantium: & tempus optimè modo impendi instituendis peregrinationibus sacris, ad aliquod paulo remotius sacellum Deiparæ, & hujus laudibus decantandis.

Jam vero, quod maximè est testimandum, hi fructus laborum Apostolici viri non tantum fuere fervoris repentini præcores partus, & mox interituri: sed etiatur, & etatem latetur: sane ut plurimum diu durarunt; quippe ad hoc præcipue tendebat ejus industria, ut stabilis perseveraret facta in missionibus emendatio morum; hinc in primis curæ ipsi fuit tollere quosdam abusus, qui occasionem denuo peccandi præbebant, ut conversationes libatores, conventus nocturni, immodestia veltitùs muliebris, & similia incitamenta malorum.

Econtra studebat, introducere consuetudines pias, aut praxes salubres, quibus animi in bene cœptis confirmarentur. Hac de causa sub finem missionis enixè suadebat auditoribus suis, ut ad honorem duodecim privilegiorum Deiparæ, sequentibus duodecim diebus dominicis, ad sacram synaxis accederent, qua de te superius l. 1. c. 8. paulo plura sunt dicta. Hac item de causa personas quasdam prudenter, ac pietate præstantes, constituebat, quæ post suum discensum curarent pacem servari, & subnascentes denuo inimicitias statim sol-

T

piti,

piri: xenodochia adiri, & ibi agrotis solatium, ac auxilium, fraterna charitate praestari: publicas supplicationes institui, & alia Christianæ pietatis officia rite impleri.

His Apostolicis conatibus suis effecit, ut communiter illi, quos excoluerat, in bono perseverarent, id quod præter Reverendissimum P. Maraccium paulo ante adductum, plures Domini Parochi abunde testati sunt, inter quos Dominus Curatus ad S. Petrum in Cascia scripsit, mirabilem esse apud suos legum divinarum observationem, & emendationem abusuum, prius animas iu ruinam præcipitantium, adeò, ut interrogatæ puellæ, an non cum amasiis egerint, videantur offendi, soleantque reponere: Quid? cum amasiis age-re, postquam Missionarii isthic fuerunt? D. Præpositus Figlinensis itidem scripsit, in Bacchanalibus nullam factam esse men-tionem de choreis, aut nocturnis vigiliis: puellas, aut domi se continere, aut plus supplicationibus occupari. Rhegii quoque in Mutinensi Ducatu Magistratus comicos quosdam actores, qui salibus suis, non semper satis honestis, populo recreationem, sibi autem facere lucrum volebant, non admisit, respondens, post P. Pauli missiones de similibus scenis cives nil velle audi-re.

Religiosus alias ex Ordine S. Francisci Fesulsi per literas significavit, juvenes quo-dam

dam procaces, ratos, ardorem in missione
conceptum jam refrixisse, denuo tentasse,
puellas ad antiquas conversationes induce-
re: at universos rejectos fuisse, illasque re-
spondisse, postquam se in materna brachia
Genitricis divinæ consercerint, ab ipsa se su-
ffrimationem sperare, nec quidquam am-
plius velle, de amoribus deinceps audire:
patres quoque, ac matres, insurrexisse in-
seductores hujusmodi filiarum suarum, e-
osque domo fortiter ejecisse. Alius ite-
rum Religiosus prescripsit, puellam quan-
tam amatissimam, dum ad se invisiere vellet,
mox portam clausisse, aliam vero similiter
advenienti occlausisse fenestram, aliam om-
nino conspuisse tecum procum. Ec plu-
rimum placuisse Altissimo hanc in similibus
conventibus fugiendis constantiam, dubi-
tari non potest, vel ideo; quod cada-
quandoque etiam temporali præmio re-
munerari dignatus sit. Sic, dum puella
quædam in loco, Chianti vocato, invitata
ad vigilias, & nocturnas choreas, tenuit
eas accedere, ne tali occasione amoibus
minus honestis implicaretur, ea adhuc
hebdomade sponsum est nacta, pro sua con-
ditione bene habentem, aut divitem, et si
ipsa omni dolore careret.

Sublata est quoque stabili decreto pes-
sima consuetudo ludendi, adeò, ut in qua-
dam parochia Diœcesis Lucensis post P.
Pauli discessum biennio toto nullus etiam

juvenis chartas attigerit, patribus familiis Deum propterea sive sine fine laudantibus. Nec minus est abrogata pejor adhuc consuetudo blasphemandi, ita, ut, cum post aliquod tempus nobilis quidam improviso impetu in, nescio quam, blasphemiam prorupisset, infans adstante eum mox reprehenderet, querens, an non missonis meminerit: & adderet verba, quæ vir Dei talibus in occasionibus iussicerat dici, nempe: *Laudetur semper Nomen IESU, & Mariae*: quo facto nobilis non ad iram, sed ad poenitentiam commotus, monitorem monetâ argenteâ est remuneratus. Praetereius vero multis laudem est merita parochia de monte dicta, & in Hetruria sita, quæ, ut fructum occasione missionis perceptum inviolabiliter conservaret, statuit, singularis diebus sub vesperum congregari in Ecclesia sua, ibique proposita tunc temporis facta renovare, sequere Matris divinæ protectioni, cantatis de ipsa Lytaniis denuo commendare: & soliti sunt ad minimum semper saltem ducenti in templo convenire.

Non autem ex missionibus solis, verum etiam ex Exercitiis S. P. Ignatii sapientis traditis, P. Paulus magnos retulit fructus, non tantum poenitentiarum in peccatoribus, sed magna quoque, ac perfecte virtutis, in animabus jam prius pietati addictis; unde missiones quidem comparare sole-

solebat securi, quæ refecat nodos, aut truncos erudiores: Exercitia verò limæ, quæ minora quoque ramenta, si inutilia, & inconvenientia sine, radendo avellit, & opus plenius perpolit. Tradidit autem Exercitia sacra variis locis, bis Aretii Domini Parochis, bis Lucæ incolis omnibus, semel Florentiæ in templo S. Laurentii, ubi semper post prandium ipse Serenissimus adfuit: item Mutioæ, ubi quoque Serenissimi Principes interfueré, rursus Bononiae in templo S. Petronii, Pisis quoque, & aliis minoris nominis locis.

Ordo autem Exercitiorum hic erat. Manè horâ, quæ credebatur omnibus congrua, quidam sacerdos ad hoc constitutus prælegebat librum quendam asceticum: qua lectione finita P. Paulus impendebat horam sequentem, partim proponendis punctis meditationis, partim ipsi meditationi, genibus coram Venerabili exposito flexis peragendæ. Hæc claudebatur oblatis Deo præsenti piis propositis, per orationis cursum conceptis. Post prandium opportunâ iterum horâ Musici cantilenam quandam devoutam ex iis, quæ missionum in usum erant compositæ, decantabant, quibus populus saepius reponebat hunc versum: *Laus, & gratiarumactio sit semper uomini IESU, & Mariae.*

Tum verò per medium horam vir Dei proponebat quoddam examen eorum er-

orum, in quos habi solent illis condicioneis homines, qui tunc erant praefentes, ut sic imposterum eos vitare, simulque virtutes oppositas sibi comparare perdisserent: quod examen teste Eminentissimo Horatio Spada maximam afferebat utilitatem; quippe in eo ordinatissime, atque clarissime proponebantur, & erroros emendandi, & exercenda virtutes: quarum occasiones quotidianæ oculis quasi subiectebantur. Examini succedebat cancio-pia, quam iterum populus intercalabat versus paulo ante adducto, laudes, ac gratias nomini IESU, & Mariae dicente.

Post hæc iterum panitia novas meditationis explicabantur, & quidem modo tam suaviter, ac efficaciter, ut jam ante cœptam eam orationem mentalem audientium animi vehementer commovererentur. Tum sursum Musicus quidam oden aliquam de votam canebat, dum interea SS. Sacramentum afferebatur, coram quo deinde Pater prostratus in genua una cum populo meditationem instituebat, quæ cantato alternatim à populo, & Musicis hymno Tamum ergo: & impetrata benedictione finiebatur. Meditationes hæc erant sueco, & vii suavis plenissimæ; & hinc à multis fuisse descriptæ, ac tandem à Domino Endovico Muratore, Serenissimi Ducis Muenensis Bibliothecario, una cum examinibus typis datæ, quas, quicunque perlegerit, magnam

magnam Spiritus S. unctionem iis inesse non diffitebitur.

Hæc Exercitia publicè tradita ingen-
tem fructum attulerunt civitatibus pluri-
bus : exemplo sit Luca, de qua testatur E-
minentissimus ejus Episcopus, fuisse in ea
ingentem ad Exercitia dicta concursum, e-
tiam horis incommodis : & parem exticis-
se attentionem, modestiam, atque silen-
tium : fusas etiam multorum lachrymas
sat indicasse internam cordis compunctio-
nem : fructum autem fuisse extraordina-
rium, & sensibilem civitatis totius in me-
lius mutationem : abolitos conventus lu-
bricos, & similia animarum pericula : ipsis
in Bacchanalibus longè moderatius genio
indultum , adeò , ut viderentur homines
erubescere licentiam illam vivendi, quam
prioribus annis sibi arrogaverant. Addit,
exacto dein triennio iterum Exercitia fui-
sse ab eodem P. Paulo tradita : & quamvis
codem ordine eadem meditationes propo-
sitæ sint, æqualem tamen, si non majorem,
fuisse concursum.

Fructus tamen Exercitiorum multo ma-
jor relatus est ex quibusdam Monasteriis
virginum, præsertim in urbe Lucensi ; un-
de quarundam Monialium confessarius scri-
psit , eas omnes sibi dicere, P. Paulum vi-
tam sanctam duxisse, & Monasterium san-
ctificasse, seque Deo esse obstrictas, quod
sibi hunc Angelum in carne submiserit, qui

disciplinam, & mores reformaverit. Alius scripsit, Moniales afferuisse, se quidem à prædicatoribus aliis, directoribus, & confessariis, fuisse edoctos, quomodo Deo servirent: at neminem alium præter P. Paulum ita inseruisse Deum in corda ipsorum, & in his stabilem ei sedem parasse. Scilicet, ut scribit Reverendissima Antistes Monasterii S. Claræ, dicta in urbe, vir Dei sua humilitate, & tenero modo sermocinandi, omnium corda, etsi obriguissent in lapides, dirupisset, aut emolliisset, addid, ut virgines illæ ad exactam constitutionem observationem, & omnem virtutem, facile inducerentur.

Una præsertim in quodam Monasterio fuerat, obfirmata non corrigere mores, hucusque laxiores: & cùm durantibus Exercitiis jussa esset, cum P. Paulo conferre de rebus conscientiaz suaz, id perfrigidè fecerat, donec ille, superno latmine collustratus, omnia ejus interiora, atque collata in ipsam maxima Dei dona, exponeret: sumit ingratum ejus animum erga tantum benefactorem suaviter, sed efficaciter redargueret: tum enimvero gratia divina vicit ejus languorem, & ipsa secum firmissime statuit, omni modo ad religiosam perfectionem contendere: fuitque exinde, ut ipsam effassa est, parata ad omnia quantumvis ardua, ac difficultate exequenda, quæ ille prescriberet: quin postea, si quid ipsi grave accidere c.

cidoret, bac sola cogitatione: Hoc mihi
P. Segneri suaderet, aut diceret: leve, ac
dulce est redditum.

C A P U T XI.

Modus P. Pauli in Missionibus. agendi suavissimus, & summè Pacificus.

Absque dubia tam copiosi fructus ex missionibus, & Exercitijs sacris, à P. Paulo relati, peculiari divinæ gratiæ primariò sunt adscribendi: attamen ad eos producendos non parum etiam contulit, quod vir Apostolicus à Deo accepit, dominum suavissimè dicendi ad motum animorum, seu, ut habet phrasis Scripturæ, dominum ad cor loquendi; quippe ejus verba mirabili, ac simul dulcissima vi, penetrabant intima viscera, & pectora dura emolliabant: id quod testantur quam plurimi, ex quibus Dominus Thomas Toghinus sacerdos Luccensis refert, rusticum quandam sibi dixisse, se tantam suavitatem dicendi miratum secum cogitare coepisse, quanta gratia inesse debuerit verbis Christi Domini, adhuc in terra degentis, si tanta amoenitate peroraret homo purus, & prorsus alijs similis.

Alius verò Religiosus sacerdos, ad multas expeditiones sacras illum secutus, affir-

T 5

mat

mat, quod, quicunque ipsum fetuocinantis audienter, quasi fascino pio trahentur, ad exequenda omnia illa, quae proposuerat, adeo, ut quidam sacerdotes saeculares aliquid depasserint, quod perderent, si quidam ejus conciones audissent, nec tamen converteri fuissent: at eos nū perdidisse, siquidem iij quantumvis obscurati, vel etiam jurati, se non emendare, tamen mox viri Apostolici monitis obtemperaverint, & quidem magno fervore.

Modus ejus concionandi non erat impetuosus, aut fulmina torquens, sed dulcis, atque amabilis, & intensus ad auditores trahendos in funiculis *Adam.. in vinculis charitatis.* Osee. 5. 1. v. 4. Vox illiterat argentea, atque sonora: modestia vultus, & moderatio actionis eximia: cui cùm accederet explicatio veritatum æternarum clarissima, simulque ad praxim edoceandam, ac facilem reddendam aptissima, mirum quantum omnium hominum, rudium, & doctorum, nobilium, ac rusticerum voluntates, & abstrahebat à vitijs, & ad virtutem attrahebat; inde est, quod Dominus Lomellinus dicere solitus erat, P. Pauli missionera esse aliquod rete, quo caperentur pisces, & parvi, & magni.

Piures, qui plurimis annis non erant unquam peccata rite confessi, tandem ad veram penitentiam suère ab ipso induci; eoquod, ut ajobant, nunquam tanto gusto,

stu, aut delectatione, audissent verbum Dei proponi. Prati juvenis quidam publicè dixerat, si missio in una urbis parte institueretur, se migraturum in alteram, ut ejus clamores vitaret. Fuit tamen à quodam semel inductus, ut P. Paulum audiret: & mox ad eò fuit mutatus, ut diceret, se ejus conciones non intermissurum. Idem accidit alteri blasphemis assueto, qui post virum Dei auditum missionem, quam priùs pessimè oderat, postea non cessabat laudibus summis attollere.

Nec singulares tantum personæ, sed communites etiam integræ, suavissima ejus oratione ad eum sequendum fuere pertractæ. Cives Lueenses in locum, millari Italico dissitum, ubi tunc missio celebrabatur, numero prorsus ingenti, reliquis vacuis domibus excurrerunt. Testatur quoque sacerdos, Missionarios pluribus annis secutus, se vix nosse locum unum ex ijs, quorum incolas sacriss suis functionibus P. Paulus excoluisse, ex quo non plures dein ad alias missiones, etiam quandoque triginta, vel quadraginta millaria distantes, maximè dum benedictio Pontifícia impertiretur, advolassent. Quin Mutinæ confraternitas S. Josephi spoondit, se omnibus communionibus generalibus, in varijs locis Mutinensis Ducatus instituendis, interfuturam: & promissis fideliter stetit, allatis compluribus cereis, ad hanc rem

rem SS. Sacramenti arsuris. Nec sanè in-
credibile est, Apostolicum virum traxisse
Catholicos; cùm suavissimo suo modo, ac
verbis dulcissimis, hæreticos quoque, inā
etiam ipsos Judæos, ad vitam meliorem
pertraxerit.

Ultra hanc vim attractivam verba P.
Pauli admirabilem insuper claritatem habe-
bant, ita, ut indocti quoque, ac penitus
tudes, facilimè omne id caperent, quod
proponebat; quippe utebatur similitudini-
bus, figuris, ac expressionibus, audientium
captui accommodatissimis, ilisque à se dicta
aptissimè declarabat: quem in finem suas
conclaves diligentius præmeditabatur,
adèò, ut, quamvis prompta facultate con-
cionandi prædictus esset, nunquam tamen
eathedram descendere vellet, nisi materie
meditatione, & ejus digestione præmissa.
Præsertim autem in id incumbebat, ut tra-
ditæ à se doctrinæ præxitione, & executionem,
claram, ac facilem redderet, & modo qui-
dem tam doctis, quam rudibus omnino
gratissimo, ita, ut rusticus paulo ante me-
moratus ejus mortem tanquam sui patris
desseverit; coquid, ut aiebat, tam enu-
cleatè tradiderit, quomodo liberos, fami-
liam, domumque totam, regere possent,
atque deberent.

Ipsemet aliquando scripsit ad quendam
suum amicum, se penitus esse persuasum,
ex prædicato sapissime Dei verbo colligi
tam

tam modicum fructum; eoquod non doceatur, quomodo id in praxin sic redigendum: & addidit, Ecclesiasticum quendam, prudentiam, & sanctitate conspicuum, sibi dixisse, causam, quod homines suis moribus non respondeant verbo Dei copiosè exposito, non aliam esse, quam, quod concionatores è pulpitis suis distribuant, multos quidem, sed adhuc integros panes; cum tamen offerteret eos frangi, ac divididi.

Verum non tantum sermo, aut concio, sed vel ipse P. Pauli aspectus, habuit virtutem quasi magneticam, ferrea etiam corda trahendi: testis est mulier illa, malæ vitæ, & famæ, quæ vita Dei, urbem Montopolitanum dictam ingrediente, cum alijs plurimis ad eum videndum accurrit, atque curiosè intuita est, habitu pœnitentis indutum, & modestiam, ac humilitatem spectabilem: cum ecce contra morem eam ille vicissim aspexit: nec opus pluribus fuit: eo aspectu cor ejus quasi transfixum, ac ad pœnitentiam, & quidem constanter agendum, efficaciter est incitatum. Duxit exinde vitam, non tantum honestam, sed sanctam, ut de ea post plures annos Religiosus quidam prescripsit, inter alia afferens, se sœpe cum ipsa de rebus divinis differuisse, non sine magna sua ædificatione, ob illius in hujusmodi colloquijs texendis fervorem.

Præ alijs autem P. Pauli multis, ac insignibus dotibus, eminuit donum ipsi cælitus datum, inimicitias etiam fatales, ac odia quantumvis inveterata, extinguevit & visus est hac in re collustratus lumine cælesti peculiari; namque, ut asserit Eminensissimus Spada, aliquoties ex peggiate suo ad se vocabat personas incognitas, secretum odium in corde foventes, minimè tamen capientes, unde id ille nō esse potuerit: quas dein suavi eloquentia suā ad amicitiam ineundam trahebat. Solebat matutino tempore concionem habere de rancore erga inimicos concepto, ex lege Christiana deponendo, allatis gravissimis causis id faciendi: & auditores ejus suavissimis simul, ac efficacissimis verbis permoti, solebant finito sermone publicè etiam genibus flexis veniam offensarum invicem petere, ac dare, inque amplexus mutuos ruere, non sinè tenerimo adstantium sensu.

Imò in signum sincerissimæ reconciliationis, qui priùs erant inimicissimi, nunc amicissimè juncti, domum redibant, quandoque etiam mutuis prandij se excipiebant: insuper literas, aut alia scripta, eausque odiorum fomenta, ad P. Paulum ferrebat, inque ejus manus cum omni, ut ajebant, inimicitia deponebant: quidam etiam in baptismo natæ tunc sibi filiæ patrini agere voluit illum, quem priùs inimicum pessimè oderat. Numerus autem edrum,

rum, inter quos pax, & concordia fuit firmata, fuit tam magnus, ut non, nisi pluribus eum in finem constitutis notarijs, initi potuisset; siquidem post quamlibet talem concessionem centum, & plures numerabantur, adeo, ut multitudo admirationem suspenderet, & tolleret attentionem: verbo, ut testatur D. Franciscus de Rubeis, nemo P. Pauli concessionibus praesens referebat secum odium, quod domo attulerat: & abolicæ sunt gravissimæ inimicitæ, ob commissa crudelia homicidia exortæ: quales dictus dominus ait, se meminisse intra modicum tempus sexaginta fuisse sublates.

Paucas ex plurimis memorare huc juvat. Quodam loco mater quedam, ob eadem filij primum ante quindecim dies peractam tristissima, omne tamen adversus sicarium odium in se fortitudine Christiana extinxit. Alibi quidam pater, cui etiam primum ante quindecim dies filius unus erat occisus, & alter gladio peticulosè transfusus, ardenti P. Pauli sermone incensus, multitudinem circumpositam penetrans ad Crucifixum accessit, ibique detractis sibi vestibus flagellum expetit; simulque, se veniam, ac pacem homicidis filiorum suorum concedere, altum clamavit, magno in abundantium cordibus accenso fervore, & admissionem affectu. Alio in loco, ob duplum necem cognati, & filij, implacabiles inimicitæ erant enatæ inter præcipuas duas familiæ.

familias: at auditio P. Paulo, & visa nocturna poenitentium supplicatione, ea pars, quæ obstinatius concordia hucusque testiterat, se obtulit ad pacem cum altera parte ineundam: eamque etiam iniit, gaudente, & applaudente tota communitate.

Iterum alio loco quidam partem agti, aut prati, sibi deberi, quamvis nullo justo titulo fultus, existimabat: alter vero, legitima possessione se se defendens, eam negabat; hinc orta est discordia ingens: at, cum P. Paulus ibi missionem haberet, professor bonæ fidei causam totam arbitrio ejus subjecit: & cum adversario aliter satisficeri non posse adverteret, etiam fundo illo amore, ut ajebat, pacis, & B. Virginis, cessit. Mutinæ Dominus quidam Illustris familie, & dignitatis eximie, cum ipsis progenitoribus suis graves tricas fovebat, ex quibus meritò timebantur majora impostorum mala: at opera P. Pauli feliciter dissensio omnis fuit sublata.

In Monte Vareho Hetruriæ oppido quidam durante missione publicè, & speciatim se accusavit, de varijs alteri presenti factis injurijs, seque obtulit ad dandam omnem, quam peteret, satisfactionem. Occiderat juvenis quidam cujusdam foemine filium, & missione P. Pauli vehementer erat impulsus, ut ab illa veniam peteret: at ipsum retraxit refractaria indoles: vim tamen generosam huic fecit, atque ad Crucifixum con-

contendit ; attamen ad hujus pedes repugnante natura, &, si non animi, corporis tamen vires vincente, deliquium passus, & humi prolapsus est.

In Peturia cuidam diebus quindecim ante missionem erat filius unus occisus , alter ab eodem sicario per costas transfixus ; unde furore pergravi percitus coquebat insignem vindictam : attamen, postquam P. Pauli concionibus adfuit, magnis clamoribus flagellum expetijt, ac quodam funearrepto , nudatas scapulas acriter diverberavit, ut scandalum , quod odij professione dederat, corrigeret: simul autem veniam, ac pacem se dare, altum inclamavit. Ad hos clamores ejus uxor processit in medium, & consanguinei omnes , atque cognatos sicarij amicè fuere complexi. Difficiliorē se præbuit filius alter, ex vulnere domi decumbens : sed & hic tandem patris, ac matris , aliorūque precibus, & P. Pauli adhortationibus cessit, & pax, ac concordia auctoritate publica fuit sancita.

At non tantum privatas personas , seu familias inter se conciliavit, sed Clerum cum populo , Magistratus cum subditis , Pastores supremos cum ovibus , integras etiam inter se communitates : cuius rei memorabile exemplum suppeditat annus 1709. quando duo populi vicini magnâ discordiâ inter se dissidebant, ob lites quasdam circa confinia , & alias quoque causas privatas.

Quare P. Paulus, qui tunc populum unum ex his sua missione excolebat, unà cum isto supplicationem ad alterum duxit: & quamvis hujus alterius Parochus, ei obviā factus, multis suaderet, ut regredetur; eoquòd neminem ibi habiturus sit auditorem, Pater tamen perrexit, inquiens, Deo hac in re plus esse fidendum: & certè incolæ alterius loci exire jam coeperant ad consuetos labores: at, cùm viderent, supplicationem ad suum oppidum tendere, & ipsi regressi sunt.

Tum omnibus ordine suo simul adstantibus vir Apostolicus concionem suam exorsus est, ad cuius finem pax, & concordia, non tantum inter duas illas communitates, sed insuper inter plurimas personas privatas, est inita: & ipsemet Parochus modò memoratus, animum à sua sorore, justis, ut quidem putabat, de causis, per tres annos aversum mutavit, eique iterum amicè colloqui cœpit. Idem dein pegma conscendit, atque à populo suo veniam errorum suorum humiliter petijt, eumque multis est exhortatus, ut missionibus frequenter adesset: quod etiam postea magna cum ædificatione est executus.

Nec tamen semper solis verbis cessere odia obstinata, aut interneccina: aliquando opus fuit multis laboribus, item precibus, flagellationibus, aliisque austeritatibus corporis, cum in finem Deo oblatis, quin & inge-

ingeniosæ charitatis inventionibus. Casciæ (qui locus est Felulanæ Dioecesis) quidam vulneratus ab alio, nullius oratione, aut exemplo, sinebat se ad inimicitiam depo-dendam moveri. Hunc P. Paulus accessit, ac rationibus multis ad dandam inimico veniam fuit horratus: at homo ferox, cùm aliquamdiu eum audisset, subito pectus nu-davit, ac residuam ex vulnere olim accepto cicatricem ostentans, Patri dixit: *Vide hoc vulnus, & cogita, an dignum sit ve-niam?* cùm vir Dei minimè turbatus ei ante oculos posuit valde amabilem Crucifixi ima-ginem, & monstrando sacri lateris vulnus, reposuit: *Videamus, quodnam vulnus sit maior? an illud, quod recepisti: an hoc, quod Christo inflixisti: cuius tamen tibi ve-niam dedit: quo aspectu ita fuit compun-ctum, ac immutatum cor hominis, ut mox pro voluto in genua copiosas inter lachry-mas veniam inimico daret, & pacem.*

Regelli in Hetruria gemini fratres, quo-rum tertius erat occisus, implacabiles ini-micities gerebant cum eo, qui cædis fra-ternæ fuerat auctor: nec ullis gravissimo-rum, atque etiam nobilium virorum, pre-cibus, aut suasionibus, cedere unquam vo-lebant: recusabant quoque ad P. Pauli fun-ctiones accederet, quamvis id ipse ardenter optaret, maximè Veneris die, quando con-cio de inimicorum dilectione esset haben-da. Itaque jam advenerat sabbatum, quo

U 2 post

post sermonem, de B. Virginis laudibus dicitum, subjunxit, se quidem magnum solatium ex præsentium fervore cepisse: atque adhuc intimo dolore affligi; quod unam inimicitiam solam non potuerit tollere: debere hujus suæ infelicitatis causam esse sua peccata; idcirco de istis poenitentiam commeritam sibi esse legendam. Hæc cum diceret, nudato subito tergore, cœpit asperrimè se flagellare; at mox ortum est lætum admirantis, & gaudentis populi murmur; nam accessere gemini fratres, amicè amplexati auctorem necis fraternæ, & inclamantes, se pacem, ac veniam dare, maximo omnijum jubilo, & festivissimo plausu.

C A P U T XII.

Favores Dei erga Missiones P. Pauli, & econtra eas Contemnentium Pœnae.

EX hucusque dictis de vita P. Pauli ab unde jam patet, Deum singulari protectione, atque auxilio fovisse missiones illius: certè beneficia plura per vim Dei, vel saltem occasione missionum, per ipsum institutarum, in varios collata, hinc inde per hujus historiæ cursum relata, id satis ostendunt, & vel ex solo per ejus expre-

expeditiones sacras collecto copiosissimo fructu, abunde clarescit. Lubet tamen sub fine m h̄sc addere peculiares quosdam favores, quibus, tum Missionarium, tum ejus functiones, voluit bonitas divina dignari: & econtra subjungere supplicia cælitus ijs inficta, qui missiones negligere, vel contemnere ausi sunt.

In primis negari non potest, beneficium Dei magnum fuisse, quod, licet P. Paulus esset debili corpore, tamen in tantis laboribus, cum tanta vitæ austерitate conjunctis, valetudo ipsius sit conservata, quamvis ipse curam ejus quasi negligenter, eamque insuper, & perfrigido tempestatum rigori, & densissimis pluvijs, & flagrantissimis solis ardoribus, per majorem anni partem exponeret: nec sibi unquam hac in re parceret, et si saepius moneretur, ac regaretur, ut sanitatem, & vires, mundo Christiano tam utiles, non ita pessum daret.

Quippe providentia divinæ confisus, & unicè gloriæ Numinis, ac proximorum saluti promovendæ intentus, existimatbat, se omnia posse in eo, qui se confortabat; quem in sensum cuidam ex Patribus Societatis, ipsum hortanti, ut imbecilli suo corpori parceret, rescripsit, sibi videri, quod meliori valetudine, atque majoribus viribus fuerit, cum ad hyberna redierit, quam, cum in campum prodierit: & addidit quasi per jocum, se non timere, ne ipse (scilicet dictus

dictus Pater) sibi invideat peculiare auxilium, quo cælum laboribus suis adstiterit; utique enim Deo conveniens esse, ut tot populis ope destitutis succurrat.

Negari quoque non potest, suisse magnum Dei favorēm, quod in tanto populo-rum diversissimorum, quandoque etiam varijs de causis sibi contrariorum concursu, nulla unquam orta sint jurgia, lites, aut aliæ perturbationes, id quod sapientissime notavit Eminentissimus Spada in missione ad S. Quiricum, ubi ad quadraginta millia hominum confluxisse est creditum.

Sed & peculiare beneficium cæli fuit gratia illa specialis, P. Paulo concessa, ut impetraret precibus suis, congruam missio-nibus temperiem aëris, à turbine vento-rum exemptam, & pluviarum inundantiā liberam: qui tempestatis favor, sicut fuit functionibus, s̄p̄ius ob multitudinem hominum in campo aperto peragendis necessarius, ita P. Paulo sapissime fuit concessus, ut cum alijs observavit Eminentissimus Lucensis Episcopus: & ex sequen-tibus colligi potest.

In quadam missione, intra regionem Lunigianam instituta, vir Apostolicus mo-nuerat populum quendam, se ad ejus ter-ram supplicationem ex alio loco ducturum, ibique concionaturum: at, cùm aér nimbo-sus, ac turbidus, minaretur prægraves plu-vias, creditum est, concionem illam, aut
900

omittendam omnino , aut in alium diem differendam ; quare ne pegma quidem eretur est. Venit tamen vir Dei , uti promiserat , & mox curavit pegma qualemque ex tempore erigi : quod ubi conscedit , subito insonuere tonitura , & coruscârunt fulgura , pluviarum ingentium , & tempestatis horridæ secuturæ indicia , adeò , ut jam populus omnis fugam circumspetaret.

Sed animavit P. Paulus trementes , atque ad Salve Regina secum dicendum est adhortatus : eo ipso autem tempore jam incepere decidere pluvias : verùm mox , ut ante imaginem B. Virginis , quam ipse secum portabat , genibus flexis Salve Regina est dictum , sunt inhibitæ aquæ , tonitruis tamen adhuc strepentibus , inter quæ tamen finita est concio , solito cum fervore , ac fructu , suspensis tamdiu imbribus , donec auditores iegrum domum redierint : quo audito vir Dei plurimum fuit gavisus , & lubentissimè tulit , se in redditu suo pluvias copiosè cadentibus fuisse complutum ; id enim ipsi tunc contigit , sed alacri , ac laeto ; eoquodd alijs parcitum fuerit.

Aretij , dum ultima concio esset habenda , & benedictio Pontificia impertienda , cœlum pluere cœpit , & auditores , ut aquas effugerent , turbato ordine hinc inde se recipere : at P. Paulus eos hortatus , ut non timerent , sed potenti Virginis patrocinio

se commendarent, simul pluvias, & simul populum stitit, totamque missionem ingenti fervore, ac pari fructu absolvit. Similiter pluviae deciderunt Castelli Franci in Hetruria, quæ cum per totum reliquum diem duraturæ meritò possent videri, & locus, functionis tunc peragendæ, esset à domibus valde remotus, magna cura injecta est pluribus Parochis, solicitis præsertim ob foeminas plurimas, neutiquam contra imbræ defensas: verum vir Dei iterum confugit ad suam protectricem Deiparam, & non tantum pluvias stitit, sed omnino serenam tempestatem reduxit.

Figlini itidem in Hetruria, dum supplicatio esset ultra flumen Arnum ducenda, ingruentes subito gravidæ nubes, & pluviae, jam in vicinis locis cadentes, permoverunt Reverendissimum loci Præpositum, ut P. Paulum accederet, eique proponeret, rarum admidum fore auditorem, si loco designato peragenda functio esset, tum ob pluviarum timorem, tum, & fors magis, ob periculosum fluvij transitum: at vir Dei solitâ suâ in Deum fiduciâ erectus respondit, esse tamen eo pergendum: & sanè suprà omnem expectationem concurrit multitudo hominum ingens, quæ insuper, invigilante ipsomet P. Paulo, navibus paratis feliciter Arnum trajecit, & post transitum supplicatio rite processit, et si atrox immineret tempestas.

Hæc dein, cœpta concione, in pluvias resolvi incepit: verum, dum populus iam circumspiciens fugam à concionante P. Paulo inductus est, ut genuflexus secum Salve Regina ad honorem Deiparæ diceret, cessarunt ruere pluviae, ut sine incommodo concioni assistere, & siccii domum redire potuerint, quamvis eodem tempore circumjectis in locis largiter plueret. Quia Dominus Bartholomæus Mascardus Sarzanensis Canonicus, testis oculatus, afferuit, sapientius accidisse, ut, cum P. Paulus ab uno loco in alium, ut ibi concionaretur, multum populum duceret, & pluvia ingrueret, ipse precibus ad B. Virginem fusis, serenitatem adduceret.

Testatur quoque sacerdos, P. Pauli in missionibus Marolensibus comes, non tantum semel, sed quotidie manè cælum pluvias minitatum fuisse: sed virum Dei accepta in manus parvula devota imagine B. Virginis dicere solitum: *Eamus, & aëri benedicamus, atque opem imploremus Deipara, ut serenitatem reducat, & populi possint ad missiōnēm confluere:* tum verò genuflexum ea imagine benictionem dedisse, ac aërem reddidisse serenum, idque toties, ut abierit in proverbium, quod ipse recitato Salve Regina impetraret, quidquid desideraret. Ulterius idem testatur, vidisse se sapientius pluvias undique in toto circuitu lapsas, quin tamen locum, ubi sacrae functiones fie-

U 5 bant,

bant, attingerent: & singulariter meminit, præter alia loca etiam id contigisse Mutinensi in urbe.

Ut autem à pluviis, ità & à nimium urentibus radiis solis, suos auditores defendit vir Apostolicus, quando nec arbores, nec vela extensa erant ad manum; tunc enim rursus recurrebat ad refugium suum cœli Reginam, & impetrabat nubes quasdam rariores, quæ solem absconderent, & mitigarent ejus ardorem. Sic Fraxinori in Mutinensi Ducatu, dum esset eundum in campum prorsus apertum, ad dandam benedictionem Papalem, & flagrantissimi solares radii incenderent omnia, vir Dei iterum sua imagine aëri benedixit, & initium sacræ functioni dari præcepit: at vix coepit hæc fuit, cum nubecula parva apparuit, eaque ità increvit, ut populum omnem durante supplicatione, & concione, imò tota illa functione, contra nimios solis calores defenderit. Simile quid in missione Vetricolæ, ejusdem territorii loco, iterum accidisse refertur.

Non minùs Apostolico viro turbines ventorum cedebant. Sic, dum in Diocecesi Lucensi alicubi vespere instituenda supplicatio poenitentium esset, ventus tota die maximè impetuosus eam impediturus existimabatur, & propterea quidam hac de re cum P. Paulo agebant: at hic respondit, hoc esse negotium Dei, cui ipse providens

etia

tia sit adfuturus: & quamvis tempore, quo supplicatio inchoari deberet, ventus majore, quam prius impetu flaret, jussit tamen procedi: & ecce vix progreendi initium factum est, cum ventus omnis quievit, & nox placidissima reddita, atque in praesentium cordibus compunctione ingens secuta est.

Una tamen vice Deo non videtur placuisse, vim venti infringere, sed ejus furori habenas laxare: at visum est P. Paulo id altiore notitia innotuisse; cum enim in oppido S. Cresci, ut vocant, sabbato quodam concionem de B. Virgine auspicatus fuisset, & ea verba Angelicæ salutationis proferret: *Ora pro nobis peccatoribus:* turbo impetuosisssimus, in expansum superius velum vehementissime irruens, secum id abstulit, et si robustis trabibus alligatum fuisset; cum subito Pater contra omnem suum morem, & hinc stupentibus ejus comitibus, è pegmate fese demisit, ac populum omnem in alium locum secedere iussit: & sanè id vix erat executioni mandatum, cum ingens quercus, una cum pluribus trabibus, ad sustinendum velum expansum ibi terræ infixis, ventorum turbinne strata, magno fragore cecidit cum ipsum in locum, quo prius auditores constiterant, adeò, ut, si modicas adhuc ibi moras traxissent, miserè contriti fuissent: sicut contritum, & in frustra confractum est per-

gma;

gma , cui prius vir Dei institerat: nee tamen propterea omisæ sunt functiones consuetæ , quas videtur diabolus excitato illo typhone impédire voluisse: sed ingenti cum fructu , & non minore dæmonis dolore peractæ sunt.

Verum non tantum favoribus zelum P. Pauli adjuvit clementia Numinis , sed suppliciis quoque ejusdem justitia. Levissime punitus est ille nauclerus , ad S. Remigium in Genuensi ora maritima , qui lucri gratiâ navigare volebat in alium locum , dum in suo missio institueretur : at, quantumcunque viribus omnibus contenderent remiges , nunquam tamen potuerunt navem extra portum propellere , adeò , ut vectores omnes agnoscerent manum supernam , quæ ita retentos cogeret potius lucra æterna , quam temporalia querere. Longè graviores poenas sibi à Dœo infligi experti sunt alii , qui neglexerunt , aut , quod peius est , omnino spreverunt Apostolicas missiones. Sanè Dominus Baptista Bartolozius sacerdos Dicecensis Lucensis asseruit , cognovisse se aliquos duri pectoris homines , qui parùm curaverint , imò quasi deriserint documenta , atque consilia , à viro hoc Apostolico tradita: sed eos attraxisse sibi vindictam cælestem , & infelicitatem terribilem.

Unum , aut alterum hujus rei exemplum lubet afferre. Quodam in loco , dum necel-

necessaria missione futuræ præparentur, ausus est quidam ei temerariè obloqui, ac inter alia dicere, similes functiones post se trahere tempestates, & grandines: at paulo post repentino symptomate stratus die sequenti est mortuus, ante recepta sanctissima sacramenta, & post à se data signa indecentissima. In certo quodam Hetruriæ oppido puella quædam missionem, & Missionarios risit; eoquod lubricos cum amissis conventus vetarent: pariter derisit puellas sui æquales; eoquod à suis amoribus abduci se sinerent, sicque negligenter aptissimum medium, inveniendi congruum sponsum, & felix conjugium: at non fluxere dies octoni, cùm misera celeri fato abrepta cum omnium horrore illata est tumulo, & cum ipsa sepulti fuere omnes ejus amores, quin & omnes vanissimæ spes.

Prati, cùm occasione missionis puellæ B. Virginis offerrent propositum, vitandi deinceps profanos amores, una ab alijs degener voluit in ijs persistere, rata, hac ratione se posse sibi viam parare ad matrimonium, conditioni suæ conveniens: & quidem sponsum, cui nuberet, post aliquod tempus invenit, sed nuptias vix celebravit, cùm insanabili morbo à Deo percussa est, deinceps sibi ipsi gravis, atque marito, donec post sex, vel septem annos, miserè exactos tandem obierit. Quodam in loco Aretinæ Diœcesis P. Paulus abrogaverat tan-

candem consuetudinem periculosam choreas agendi: & in quadam concione fervore magno eos maledictos dicebat, qui noxium illum abusum essent revocaturi: at insuperhabita hac maledictione quidam juvenes magis effrænes de novo choreas duxerunt: sed mox sensere vindictam divinam; quippe domus, in qua saltitabant, repente collapsa, quosdam omnino oppressit, alios miserè attrivit, & membra eorum, aut confregit, aut gravissimè la- sit.

Alibi mulier audiens maritum, in blasphemiam quandam prorumpere, memor dictorum P. Pauli durante missione, eum admonuit de gravitate hujus peccati; cùm ille furens insurrexit in eam, & non tantum verbis ignominiosis, sed insuper arrepto baculo verberibus crudè excepit: at paulo post improvidè lapsò id ipsum brachium, quo ad percutiendam uxoremabusus est, fuit abruptum. Apertissima autem Dei poena fuit, quæ cùdam vindictæ obstinatissimè cupido fuit inflicta Trasilici in Grafagnensi regione, & ab oculato teste Illustri Domino Francisco de Nobilibus est enarrata.

Senex quidam ibi fovebat pertinacem rancorem contra sicarium quendam, qui filium suum, jam matrimonio junctum, & aliquorum liberorum parentem, occiderat, quorum pupillorum misera sors eum inti-

intime cruciabat. P. Paulus hunc senem accessit , multis hortans , & rogans , ut tandem placari se fineret : quin s̄epius per hebdomadem redijt , durum pectus rationibus , & minis , at incassum aggressus : sabbato tandem etiam genibus flexis , lachrymisque profusis orando , induratum emollire conatus est : at ille obfirmatus in malo respondit , se nunquam veniam daturum sicario filij sui : tum tandem vir Dei exurgens , & spiritu altiore repletus , verbis gravissimis supplicium divinum ei indixit ; scilicet à Deo , cuius amore voluerit condonare cædem unius , ipsi eripiendum etiam alterum filium . Nec vindicta Numinis ultra alteram diem dilata est ; nam , dum sequente dominica perageretur generalis communio , senis illius filius alter , egressus ad fascem aliquem lignorum , sive ramorum , domum ferendum , ex arbore , quam concenderat , decidit , & mox peracta vix confessione extictus est.

Quæ hucusque de vita , & virtutibus P. Pauli Segneri junioris , fuerunt allata , sperantur futura ædificationi omnibus ijs , qui ea perlegerint , & pluribus etiam incitamento , ad sequenda tam præclara vestigia , atque magno studio procurandam , non tantum propriam , sed proximi quoque salutem . Creditur etiam , Lectorem benevolum fore persuasum , quod Reverendissimus P. Ludovicus Maraccius ex Congrega-

gregatione Clericorum Matris divinæ, iam
sæpius in hac lucubratione adductus, non
malè attribuerit huic Apostolico viro illud
Ecclæstici 49. v. 3. de Josia Rege optimo
dictum: *Ipsè est directus divinitus in pœni-
tentiam gentis, & tulit abominationes im-
pietatis, & gubernavit ad Dominum cor
ipsius, & in diebus peccatorum
corroboravit pietatem.*



INDEX



INDEX LIBER I.

- CAPUT I.** Nativitas P. Pauli, & vita in
saculo acta. 1
- CAPUT II.** Tyrocinium P. Pauli, & Phi-
losophica studia. 9
- CAPUT III.** Tradita à P. Paulo discipline
humaniores, & excepta Theologia. 16
- CAPUT IV.** Preparatio P. Pauli ad haben-
das conciones, & improvisa ad aliud offi-
cium destinatio. 24
- CAPUT V.** Tertius annus Probationis P.
Pauli, &grandes ejus in perfectione reli-
gioſa Progressus. 30
- CAPUT VI.** Prima missiones P. Pauli in
Diœcesi Aretina instituta, & Exercitia
sacra Parochis tradita. 36
- CAPUT VII.** Missiones P. Pauli in alijs He-
trurie locis, ac dein Aretij habita. 48
- CAPUT VIII.** Nova missiones P. Pauli in
Diœcesi Fesolana, ac Pistoriensi. 60
- CAPUT IX.** Aliae missiones in Civitate, ac
Territorio Pescinnenſi, Cortonensi &c. 70

CAPUT X. *Brevis Narratio de Vita, & Virtutibus D. Jacobi Lomellini Clerici secularis, & P. Pauli in missisnibus socij.*

82

CAPUT XI. *Missiones P. Pauli in Diœcesi Lucensi, & Florentia Principe Henruria urbe.*

95

CAPUT XII. *Missiopea in Territorio Genuensi, & Mutinensi Ducatu.*

108

CAPUT XIII. *Missiones in Diœcesi, ac urbe Fanensi.*

117

CAPUT XIV. *Præsensiones P. Pauli de imminente sua morte, & p̄ijssimus obitus.*

123

CAPUT XV. *Exequiae solennes celebrata, & alij homines exhibiti P. Paulo defuncto.*

134

CAPUT XVI. *Aëstimatio Magnorum Virorum de P. Paulo, & quadam visiones eius Beatitudine.*

148

CAPUT XVII. *Beneficia ad invocationem P. Pauli defuncti impetrata.*

158

CAPUT XVIII. *Gratia gratis data P. Paulo adhuc viventi à Deo concessa.*

169

LIBER II.

CAPUT I. *Charitas P. Pauli in Deum, & Christum JEsum Deum, & Hominem.*

180

CAPUT II. *Devotio P. Pauli erga B. Virginem, & Innocentia morum.*

190

CAPUT III. *Raupertas P. Pauli, atque à terrenis Avulso, & contra Fiducia in Deum.*

201

CAPUT

CAPUT IV. <i>Magnanimitas, Prudentia, ac Humilitas P. Pauli.</i>	211
CAPUT V. <i>Austeritas Vita, & Patientia P. Pauli.</i>	224
CAPUT VI. <i>Obedientia P. Pauli.</i>	238
CAPUT VII. <i>Dexteritas P. Pauli in diri- gendis aliorum conscientijs.</i>	245
CAPUT VIII. <i>Charitas P. Pauli erga Proximum, ac in agendo Suavitas, & Zelus animarum.</i>	257
CAPUT IX. <i>Methodus in missionibus insti- tuendis à P. Paulo adhibita.</i>	269
CAPUT X. <i>Frustus ex Missionibus à P. Paulo institutis, & Exercitijs ab ipso traditis, relatus.</i>	283
CAPUT XI. <i>Modus P. Pauli in Missioni- bus agendi Suavissimus, & summe Paci- ficus.</i>	297
CAPUT XII. <i>Favores Dei erga Missiones P. Pauli, & econtra eas contemnentium Pæna.</i>	308

F I N I S.



